SPHINX THEOLOGICA, sive MUSICA TEMPLI, ubi *Discordia concors:*

In tres Decades totidémque Libros divisa.

Liber I.

Psal. 84. 4, 10.

Beati qui habitant in Templo Tuo, Domine; in æternum Te laudabunt.
Melior dies una in Atriis Tuis super millia.

DEI, DEO.

TrIn-VnVs DeVs Mea LVX & saLVs.

CANTABRIGIÆ:
Ex Academiæ celeberrimæ Typographeo.


HINC • LVCEM • ET • POCVLA • SACRA
ALMA
MATER
CANTA
BRIGIA

Generosissimo ornatissimóq; Guilielmo Nevile.



Rtu clare Tuo, Nevilo-Dechamia Proles,
Omine magna Tibi spondet uterq; Parens.
Artis Apollineæ decus in Te vernat; & illa,
Illa seris, quorum Gloria messis erit.
Canities Tibi mentis adest in flore Juventæ;
(Et cunis Heros vagiit Herculeis.) (jungis
Nónne Bonæ ista Spei sunt Promontoria? Capo de buona Speranza.
Cum *Cicerone* Fidem, cúmq; *Marone* Deum.
Temporiperda suos *Fastorum* ex mensib⁹ annos
Enumerat, sed Tu *Cognitione* Tuos.
Dúmq; aliis studium canibus circundare saltus,
Tu rapis Aonias in tua lustra deas.
Nobilis *Euphrosyne*, facunda *Thalia*, jocosa
Aglaïa, in vultu Gratia trina Tuo.
Nunc te *Cornipedem* redeuntibus ordine gyris
Flectere, nunc *Lyrico* Te juvat ire *pede*.
Crescе simul cum Fratre; manent vos præmia: Sic tam
Te Frater, quàm Tu Fratre beatus eris.
Crescite; * *Cressingi* stimulet vos gloria *Templi*: * *Cressing-Temple*, olim nobilissimi Ordinis Equitum Templariorum sedes.
Crescite par *Equitum*; nomen & omen adest.
Gemma juventutis, melioribus orte sub astris,
Cœli sis hæres illico, serò petas.

Ad eundem, *Cantabrigiam* ſtudiorum gratiâ conceſſurum.

FAmam ex jugeribus, cui nil niſi jugera, captet:
Hæreditatis pars minima Fundi tuæ.
Non opus eſt ut opes (aderunt Patrimonia) quæras:
Tibi, Sola ſolus ſum labor, *Virtus ait.*
Se Muſis vendunt, qui ſperant præmia: Tu non
Ex Arte fies ditior, *ſed* clarior.
Inter Palladias Grantæ quæ maxima Sedes,
Te TRINITATIS hoſpitem expectat Domus.
Felici plantande ſolo, Cœlo auſpice creſce,
Alumnus ejus, poſtea fautor, loci.
Nevili, NE VILE VELIS, *Emblema verendi*
Olim fuiſſe memineris vel jam puer.
Sanguinis ejuſdem cùm ſis, Inſignia Scuti
Crucis X *iaſmum ſimili in Campo geris.*
Inclytus ille Senex, quem & poſtera diligat ætas,
Magni refecit Aream Collegii:
Dèque ſuo adjecit partem, nitidiſſima quæ pars
Phœbum occidentẽ ſpectat & Chamum Senem.
Hæc, fortunatis quæ ſurgunt mœnia Muſis,
Tria, ſed hiantis, dant latera quadranguli.
Addi ſi quartum fas eſt optare; quis illud,
Niſi ex eadem Familia ducens genus?
Incola cùm fueris, Structorem hic Incola, *dicam,*
Ut Genere, ſic & Mente generosâ refert.
Nil opus eſt addam dictis; plus addere factis
Genius benignus facilè NEVILUM *monet.*

MA

MANUDUCTIO
ad Poëticam Pietatem.

1 HAnc qualemcunque *Liberalium Musarum Panegyricam & Erudito* liceat commendare & *Christiano*, præter quem nihil invidiâ dignum æstimo; ut qui & Cupiditates Rationi, & Rationem Religioni subjugavit. Lacinioſa ſcripta ſunt paucis uſui, pluribus ſumptui, omnibus oneri. Multiplices in prato floſculi, & colores in tabula diſtincti mirificè delectant oculos. Nec Aranearum textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt; nec noſter ideo vilior, quia ex alienis libamus, ut Apes.

2 Vera *Poëſis* nihil aliud eſt quàm *Pictura loquens*, ipſam variegato peripetaſmate Naturam exornans, ſeu omnium Diſciplinarum deliciis ac medullis condîta Placenta, ſive è ſelectiſſimis quibuſque floſculis compoſitum Mellificium; cujus ſuavitate quicunque delinitur, ulteriùs penetrare concupiſcet.

3 Propter *Numerorum Concinnitatem* firmiùs memoriæ Poëma infigitur; nec ità facilè effluunt quæ numeris aſtricta ſunt, quàm ſoluta oratio. Hinc Veteres leges ſuas numeris alligabant, nè oblivioni traderentur. Hinc etiam ego poſt Theologorum Vindemiam tenue facio uvilegium, ſubinde non racemos, ſed uvarum quaſdam reliquias coacervatas in Carminum nodo manipulatim compingo; confeſtímq; in Prælum Typographicum (quaſi in Torcular) imprimendas conjicio.

4 Numeris aſtricta lectio ut ſignum compoſiti tranquillíque in animo affectûs, (nam

Carmina proveniunt animo deducta sereno)
sic etiam sublimis, & supernè volitantis:

Sedibus ætherei spiritus ille venit.

Quàm alta Phrasis in *Pharsalia* sua triumphantis LUCANI; ubi *Pompeius* & *Cæsar* contenderunt, uter imperaret, uter esset, hoc est, uter in hoc Mundi sterquilinio gallus potissimùm exultaret!

Æneidos l. 5. pag. 199 & 200 edit. Cantab.

5 Felicioni, mi FLETCHERE, emissus impetu,

Tu flexum validis incurvas viribus Arcum:
Hem, tua per cœlum nervo stridente sagitta
Evolat —— Atq; utinam, sicut olim illos ante tibi Cognomines Sagittarios Æneas honore prosecutus est —— *muneribus cumulans magnis*; sic aliquis Tibi Toxophilus ac Musophilus, justus Ingeniorum pensitator,

Hæc

Ferre daret meriti monimentum & pignus Amoris.

Nec verò opus est ut adjiciam,

Amicorum —— *cingat viridanti tempora Lauro:*

nam dum Tua in virorum doctissimorum consortio legebantur,

—— *ingenti sonuerunt omnia plausu.*

Sanè hebes est qui non videt, quàm sublimi ascensu in INSULA PURPUREA eveharis,

pari *Lectorum afflatus rapiens super æthera mentes.*


6 Musici —— *dant sine mente sonum.* Si suis organis vocem æquè ac sonum exprimere possent, veram denique delectationem inducerent: Poëtæ verò ipsum illum sonum in Musicæ articulatæ modulos infundunt.

compari Quæ Carminis suada in *Emblematis* QUARLESII! ubi unaquæque lineola, unumquodque verbulum, suam Numeri, Mensuræ, Ordinis, Proportionis, Accentûs, harmoniam obtinuit. Nequeo quin irrumpam in subitaneum hoc ejaculamentum;

Cur Eques Frater, Pedes Ipse, qui, quò
Pindarus nunquam potuit, volâsti?
Hic ubi dulci modulante nervo
Patrem Amphion, silvæ move toto
incompa- *rabili.* *Carmina Pindo.*

7 Hæc

7 Hæc dum meditor, opportunè occurrit mihi, quod nuperrimè intra Amici cujuſdam lares non ſine voluptate conſpexerim: Intuebar ſcilicet in Tabula haud ineleganti depictos, tres inter ſe de palma concertantes; *Muſicum, Pictorem, Poëtam*: Muſicum teſtudinem digitis pulſantem, ore modicùm aperto unà accinentem; penè me audiſſe diſerim: Pictorē (ipſum inquā qui hęc depinxerat) penicillis coloribuſq; inſtructū, in Regis CAROLI effigie deſcribenda ſedulū: Poëtam verò Togâ Academicâ veſtitum, *.....Lauru tēpora cinctum*, cui in exerta manu fuit vexilli inſtar explicata Chartacea pagina, his Verſibus quaſi Emblemate ſignata, quos tunc quidem tranſcripſi lubens.



8 Ipſe *Philoſophus*, cùm integram totius vitæ lucernulam in Scientiarum Encyclopædia elucubranda conſumpſiſſet, exclamat denique, *Se nihil prorſus ſcire.* Præcipua exemplorum lumina ad præcepta ſua illuſtranda Philoſophi à Poëtis ſunt mutuati: abſque enim Homeri exemplis, Ariſtoteles animo perinde, ac Homerus oculis, cæcutiret.

9 Priſci Philoſophi maximo Poëſin in pretio ſemper habuerunt; eam enim *divinum Afflatum, Sacram Ecſtaſin, Enthuſiaſmum* vocârunt; ejuſque nomine omnem Eruditionem comprenderunt: Poëtas verò *ſapientiæ Duces, verique nominis Doctores* indigitârunt. O *Virgilii* Majeſtatem, *Horatii* Gravitatem, *Naſonis* Suavitatem! Plato in Dialog.

His meliore luto finxit præcordia Titan.

10 Quin & *Empedocles* & *Democritus*, ipſi Philoſophiæ patres, ingenii ſui fœtus faſciis poëticis involverunt: Quique inter ipſos ſapientiſſimus habitus eſt, *Socrates* etiam in extrema ſenectute verſibus componendis ſeſe oblectavit,

Quintil. Inst. l. 10. c. 1.

oblectavit. Romanorum doctissimus *Varro* poëmata scripsit: & *Aristoteles* de faciendis, *Plutarchus* de legendis Poëmatibus ex professo præcepta tradiderunt.

Iterum, dum de Poëtis ago, loquor Poëtaster:

Eccles 31. 32.

Esse viro quæ vita potest sine sanguine Vitis?
Quis Sophiæ Metricus est vigor absque modis?

11 Et (ut ubi desinit Philosophus, incipiat *Medicus*) quid est quòd expertissima *Salerni* schola Medicinæ suæ quasi acerbiorē gustum Poëtico melle delinivit; quòd ipsa Bibliotheca Medica numeris, quasi tot catenulis, astricta sit; quòd Galeni *Mithridatici Dispensatio* musices metrorúmque œconomiam agnoscit; quòd nuper etiam *Hippocratis Aphorismi* à Professore medicinæ doctissimo WINTERTONO prosodiæ etiam regulas acceperint: nisi quòd utilis voluptatis sensus hoc modo proclivius in mentes nostras profuturâ suavitate illaberetur?

12 Quidni etiam addam, ipsam *Jurisconsultorum* nostratium scabritiem mirum in modum Carmine complanari, adeò ut Lectoribus etiam philologis haud ingrata reddatur? quod quidem abundè mihi constat fieri posse ex illo specimine, quod nobis exhibetur in illo nuper edito NISI Libello, ubi per *Juridicas Musas* nonnullæ Juris Anglicani formulæ forenses modis numerisque Poeticis affabre expoliuntur atque splendescunt. Quod cum cogito (ac lubenter quidem cogito) NISUM ipsum hoc alloquar Epiphonemate,

Ipse tuam palmam Vates tibi præripis Ipsi;
Et Tibi præcipuum non invidet Alter Honorem.

13 *Alexander* ille Magnus Homerum, *Darius* Aristophanem, *Ptolemæus* Theocritum, *Archelaus* Euripidem, *Lysander* Sophoclem, *Lycurgus* Æschylum, *Jul. Cæsar* Accium, *Augustus* Virgilium, *Mecœnas* Horatium, *Scipiones* Ennium, *Lælius* Terentium, *Corvinus* Tibullum, *Æl. Verus* Martialem, *Antoninus* Oppianum, *Urbanus* Casimirum, CAROLUS Alexandrum *Sterlini* Comitem, in sinu ac deliciis habuerunt.

14 *Alexander* ille *Macedo* præceptorem quidem *Aristotelem* superstitem sæpius domi reliquit, mortuum verò

rò

rò *Homerum* nunquam non in gremio habuit. De cujus Poëtæ natali solo septem Græciæ Civitates acriter inter se contenderunt,

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chius, Argus, Athenæ.

Ætas illa per seipsam ferrea, solâ *Homeri* operâ reddebatur aurea.

15 Imperatorum & Regum optimi extiterunt Poëtæ, inter quos *Augustus* & *Adrianus*, *Arcadius* & *Honorius*, *Valentinianus* & *Gratianus*, *Robertus* Siciliæ Rex, *Franciscus* Galliarum Monarcha, nec non JACOBUS ille noster, & Poëtarum Rex, & inter Reges Poëta incomparabilis; cujus & præclarissimum super *Lepanthæo* prælio Carmen, & reliqua scripta Cedro dignissima suspicient

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

16 Hoc licèt cæteris Artibus acceptum referamus, quòd adhuc superstites non inter mortuos numeremur, sola Poëtica efficit, ut vel mortui inter vivos æstimemur. Summo igitur jure Laurus, Imperatorum triumphantium corona, ad Poëtarum frontes decorandas destinatur. Ac vicissim *Augusto* non leve indè ornamentum accessit, quòd Musarum Poëticarum & Cultor & Fautor haberi gloriatus sit: unde eum sic affatur ipsi charissimus Virgilius, *---Accipe jussis* Virg. Ecl. 8.

Carmina cœpta Tuis, atq; hanc sine Tempora circum
Inter victrices hederam Tibi serpere lauros.

17 Excipite, NOBILES, hospitio, excipite pulcherrimam istam *Charitem*, & cum ea convivamini, ut in perpetuam posteritatis memoriam usque superstites habeamini.

Vestra per immensum transmittite Carmina Mundum;
Illa per ora virûm placidè volitando triumphent.
Continuò dulces læto vos undique Vates
Gratantes plausu excipient; nova gloria cœlo
Succedet, vestrúmque decus sinus ultimus Orbis
Audiet, ac nullo diffusum abolebitur ævo.
Ecquis erit vestrûm, segni qui plebe relictâ
Sub pedibus, pulchræ laudis succensus amore,
Ausit inaccessæ metuum se credere Rupi?

18 Poëtaſtri autem hoc infelici ſeculo, profani, impii, impudici, moriuntur etiam viventes; ſordium illæ Hirudines, animarum Sirenes, à quibus ornari vult Diabolus, quique in Poëtices calice ſeipſos Satanæ propinant; qualis erat Ille cujus morientis extrema fuit hæc vox;

Eſpeneus de ſacra Poëſi.

Ite mali verſus, Animam qui perditis, ite.

19 Sed nos —*meliora canamus.* Quid prodeſt in Poëſi eſſe peritum, & ſine Pietate periturum? Ars abſq; fructu, cadaver eſt artis. Ea viventes appetamus, quæ morientibus forent appetenda; doceamus ea in Terris, quorum ſcientia nobis perſeverat in Cœlis. Apex enim ſapientiæ eſt animæ ſapere, nílq; amare, nílque expetere, niſi aut *Deum*, aut *propter Deum*. Sacræ *Poëſeos* adminiculo poſſimus *noſmetipſos commonefacere mutuò Pſalmis, &* Col. 3. 16. *Hymnis, & Cantionibus ſpiritualibus, cum gratia canentes in cordibus noſtris Domino*; ut non ſemel hortatur Eph. 5. 19. Apoſtolus.

20 Peculiare Poëtarum munus, DEI gloriam illuſtrare. *Moſes* primùm laudes JEHOVÆ, populum ſuum ex acerba Ægypti ſervitute elato brachio & extenſi manu educentis, carmine celebravit; deinde Iſraëlitas cantione ſuâ planè cygneâ delinivit. *David* Saulis & Jonathæ obitum metrico Epitaphio deflevit. *Ezechias* graviſſimum morbum, & ex ipſis fati faucibus ereptionem, euchariſtico Hymno decantavit. *Jeremias* inſuper Threnos ſuos & lamenta ordine Alphabetico, varióq; carminis genere effudit.

21 Quinimo Spiritus Sanctus non modò quaſdam Sacræ Scripturæ particulas, ſed integros etiam libros verſibus includi voluit: uti *Jobum, Pſalmos Davidis, Proverbia, Eccleſiaſten, Canica canticorum:* Qui libri metris conſcripti tertiam Veteris Teſtamenti partem apud Luc. 24. 24. Hebræos abſolvunt; Chriſto ipſo Scripturas in *Legem, Prophetas*, & *Pſalmos* dividente.

Quarta

Quotus Poloni è venice Carpati,
Inanè jocundat Viſtula fluminibus;
Et fert, inexhauſtiſque tanto
Alacius ruit ore Vates.
Quò ducas aquo pollice ſtatilem
Et lucè pallam? Quò ſub iambum
Tentorio cœli ſedentem,
Quòve rotilis diadema ditat
crinale ſtellis? Quis memorat DEUM
Latè tenentem ſyrma per aureum
Mundi pavimentum, ſequaci
Sidera conglomerare nimbo? *Caſimir.*

22 In novi Fœderis Inſtrumento, ut *Zachariæ* & *Simeonis* omittam Cantica, & ut taceam quòd Apoſtolus ex Poëtis, *Arato*, *Menandro*, & *Epimenide*, teſtimonia citârit, non ex alio Scriptore ethnico; Ipſe mundi Salvator Poëticos Flores non eſt dedignatus: Quippe, ad demulcendos Diſcipulorum animos, Hymnos ceciniſſe legitur. Act. 17. 28. 1. Cor. 15. 33 Tit. 1. 12. Matth. 26. 30.

23 Sed calamum reprimo, jam nimiò nimis in Poëtices laudes excreſcentem, & ad meipſum redeo. Non eſt quòd cuiquam ſcrupum injiciat Titulus quem libro inſcripſimus, nec moleſtum ſit Lectori, quòd *Muſica* noſtra *diſcors* vocetur. Multa ſunt quæ ſenſus humanos & Naturæ modulum tranſcendunt, quæ, ſi Fidei Gratiæque perſpicillum menti adhibeas, facilè perſpicias. Non enim dubitandum, quin ea quæ anguſtam Naturæ ſphæram excedunt Magnalia, intra divinæ omnipotentiæ ambitum interminabilem contineantur.

23 Scribo iſta volenti legere, & valenti intelligere. Veni devota Anima, vide, lege, perlege, intellige, crede, & vive. Veni ut videas, vide ut legas, lege ut perlegas, perlege ut intelligas, intellige ut credas, crede ut vivas.

Pax Dei & Animæ ſalus ſint noſter Theſaurus
& felicitas in æternum.
AMEN.

In ſacrum & eruditum Poëma Ornatiſſimi BENLOSII.

SUlmo *leves calamos tulit, urbs* Venuſina *ſalebris*
Invia, & obſcœno Bilbilis *atra luto.*
Augiæ ſtabulum purgatur. Bilbilis *ecce*
Caſta effert, Flaccus *levia,* Naſo *pia.*

A. S. T. C.

Autori verè nobili, militum equeſtrium in Eſſexia Capitaneo, Collegii D. Joannis Cantabr. Benefactori munificentiſſimo.

ARte *tuâ moderaris Equos,* Animoſe, *feroces;*
Docta, Perite, *canis Diſticha* Marte *tuo.*
Marmora *das Nobis, das* Carmina *Marmore digna:*
Carmine *digna facis,* Marmore *digna canis.*
Munera *dum ſpecto, dum ſpecto* Poëmata; *miror,*
Strictior an Tibi Pes, *liberiórve* Manus.
Neſcio, perpendens & Dona *&* Acumina, *Nobis*
Munificúſne magìs Tu, *vel* Apollo *Tibi.*

S. J. Coll. S. J.

QUid?—vel Apollo Tibi? *Nugaris, Amice;* Tri-unus
Major Apollinibus ſit mihi mille DEUS.

PRÆ-

Præludia ad TEMPLI muſicam.

NOn eſt ſimilis Tui in Diis, Domine, & non eſt ſecundum opera tua; quoniam magnus es & mirificus; Tu es Deus ſolus, [b] & non eſt alius extra Te, & non eſt fortis ſicut Deus noſter. [c] In Templo tuo omnes dicent gloriam. [a] Pſal. 86. 8, 10. [b] 1. Sam. 2. 2. [c] Pſal. 29. 8.

Ἐξηκοντάστιχον.

ETHnica Apollineis *placeant figmenta Poëtis:*
Spirituale pius *parturit author opus.*
Rauca profanorum ſileant crepitacula Vatum:
Mulgeat hic tauros, qui vocat iſta ſales.
Lurida mortiferis exugant Toxica ſuccis,
Quæ malus è Stygio traxit Apollo *lacu.*
Delphica damnatis perierunt Sortibus antra:
Nulla tui Tripodes *dant Sacra, nulla tui.*
Fuſca ſagittiferi pudeſiant Lumina Phœbi,
Cúmque Eoö Æthon, cum Pyröente Phlegon.
Venari Arcadicæ prædas det Cynthia *Sylvæ;*
Mars *oleat* Paphiæ *Furta, Saléſque* Deæ.
Cum formidanda rideberis Ægide Pallas;
Mulciber *& Cuculus* Paſſeris *eſto tuæ.*
Projice quiſquilias, claudi ſtirps cæca Cupido;
Hinc fuge Mœcha Parens, hinc fuge Leno Puer.
Intentet ſtreperas oculis veneranda bovinis
Juno *Minas*, Pallas *Gorgona, Philtra* Cypris.
Pan *cornutus*, Hymen *levis, ipſe triformis Adulter*
Juppiter, *ob ſtuprum Bos, Olor, Imber erat.*
Feſta corymbiferi contemnimus Orgia Bacchi:
Flebilis in toto curſitet orbe Ceres.

Per *Rachel* ho ſervito & non per *Lea.*

Βοῶπις *Hom.*

Callidus

Callidus invisam fugiat Cyllenius *artem,*
Perfida fallaci furta patrare manu.
Pan, Ops, Pluto, Venus, Mars, Rhea, Cupido, Megæra,
Momus, Erinnys, Hymen, Flora, Priapus, Eris;
Varro. *Millia vel ter dena Deum, bona Nomina, sunto:*
Scilicet! hem quanto pondere sudat Atlas!
Scilicet hos fecit scelerata licentia Divos,
Ut posset vitiis incubuisse suis.
¶ Icarus, & Phaëthon, & Thisbe, & Pyramus, *eia!*
Hæc quàm dulcè gravi murmure Verba crepant!
Tolle jocos Tu, Naso, *tuos; Tu tolle,* Properti,
Túque, Catulle, *tuos; Túque,* Tibulle, *tuos.*
Ludicra danda meris, trivialia crustula, pupis,
Quorum credo vagæ nil satìs esse gulæ.
¶ Atridæ gemini, Laërtius, Hector, Achilles,
Æneas, Priamus, Troia, Lacæna, Paris;
Ilias ecce quid est? vis luxuriosa procorum:
Ipse fuit lanio trux Telamone *satus,*
Lanigerásque furens gestit mactare bidentes,
Setigerósque sues, cornigerósque boves.
Vah! facies Helenæ *quid erat? Pictura. Quid astas*
Nuda sinus, oculos pæta, soluta comas,
Dira lues Phrygiæ, Pelago furor, arma Pelásgo,
Cæde cruenta solo, clade notata salo?
¶ Templum Ephesi, Circus, Pharos, Amphitheatra, Colossus,
Mausolæa, Tholi, Pyramidésq; *ruant.*
Celsa superbifico valeant Capitolia *luxu.*
Sic fingit luteas turba pusilla casas.
¶ Calliope, Uranie, Clio, Polyhymnia, Sappho,
Terpsichore, Euterpe, Suada, Thalia, Charis,
Pegasus, Aonides, Cyrrhæ juga, Pimpla, Citheron,
Parnassus, Phocis, Thespis, Ilissus, *eant.*
Floccilegæ crocitent, Phrasimimi, Quisquilivendæ;
Rudat Onocrotalus; nostra Columba gemat.
Cedite, futilium deliramenta laborum,
Cedite; Sirenas præterüisse juvat:
Cedite; Seraphico sapiant hæc metra palato.
Qui Vitæ in Libro scribitur, Ille legit.

Secel-

Seceſſus, Animæ TEMPLUM.

ETiam paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſi- Pſal. 84. 4.
bi, ubi ponat pullos ſuos. O *Altaria* Tua, JEHOVAH exercituum, REX mi, & DEUS mi!

VEra Quies, paucos nôſti, notiſſima paucis;
Dum fugio plures, te peto, vera Quies.
Carmina Seceſſum? *potiùs* Devotio *quærit:*
Sic quadrant modulis pectora ſancta ſuis.
Turbat Apollineas clamoſa moleſtia Muſas;
Chriſticolæ modulos ſed magis illa gravat.
Sit procul urbs, propè vota mihi; mihi reddar; & intus
Plena fide perſtet mens mihi, plena Deo.
Hoc nemus *eſt* TEMPLUM, *patuli* laquearia rami,
Fit ſacræ Truncus *quiſque* Columna *domûs;*
Pervia Sylva *patens eſt* porta; Cacumina Pinnæ;
Baptiſmi *pignus* Rivulus *omnis habet;*
Dat menſam Collis ſacram *mihi ceſpite tectus;*
Pectoris Ara Fides, Zelus Amórque Focus.
Siquis Baptiſtes *in eremo prædicet; ecce,*
Pulpita *in arborea ſede locata patent.*
Hîc licet elatâ dare verba precantia voce;
Et ſine teſte, Deo nec niſi teſte, loqui:
Ipſa monent tremulas quatientia flamina frondes,
Per nos fundendas corde tremente preces:
Antevolánſq; cavo ſuſpiria noſtra ſuſurro
Dum gemit, Aura levis, Tu geme, Cultor, *ait.*
Voce Deum celebro? Concordes ſponte Choriſtæ
Sunt præcentores, *dum modulantur,* Aves.
Amen *ſubjicio? dat* Amen, *quaſi* Clericus, Echo.
Et Templum *&* Populum *ſic loca ſola dabunt.*

In

In Porticu TEMPLI.

a Pſ. 100. 3. b Pſ. 84. 1, 2

[a]INtroite Portas DOMINI in Confeſſione, Atria ejus in Hymnis; confitemini illi. [b]Quàm dilecta Tabernacula tua, DOMINE virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in Atria DOMINI.

SEd quid ago? quò me, me quò rapit impetus? ô ſi,
O ſi ſint, quot ſunt Vota, tot ora mihi!

Optima vita, Camæna ſit optima: Contigit illi
Ars bene dicendi, qui bona verba facit.

Cui ſapit ipſe Deus, *ſolus ſapit ille. Quid hæres?*
Ad res difficiles dum vocat, Ipſe præit.

Irrumpo, Scatebráſque ſacras ſubrimor aquarum;
Cùm mea ſcrutanti vena negârit opem.

Forſitan hunc reperit Carmen, *quem* Concio *terret;*
Lætitiámque ſuam Thurea dona facit.

Euge piæ, (nobis furor entheus) euge Camœnæ,
Ite, novo feriam ſydera ſumma ſtylo.

Quæ quiſcire velit, mentem celer exerat; Apta
Mens Ariadnæi ſtaminis inſtar erit.

Auditu miranda dabit viſúque Libellus.
Vis apicem Sophiæ diſcere? Diſce DEUM.

Introitus

Introitus in TEMPLUM.

O TEMPLUM ſpecioſum! dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ DOMINI mei poſſeſſoris tui. Tibi ſuſpirat peregrinatio mea, & dico Ei qui fecit te, ut poſſideat & me in te, quia fecit & me. Inebria me, DOMINE, torrente voluptatis Tuæ, ut nil jam mundanorum deguſtare libeat, & venenatæ dulcedinis. *Aug.*

ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΝΤΑ΄ΣΤΙΧΟΝ.

HOc Animi melioris opus, ſanctique Receſſus:
Jam ſuper alta feror Nubila, Terra vale.

Jámq; ipſos penetrare polos mens geſtit; IESV,
Mens mea ſit donis ambitioſa tuis.

SPIRITUS alme, tuo recrea mihi corda calore:
Accendi humanâ neſcit hic arte calor.

Chriſtiſono gravidam ſuccende Poëmate Muſam:
Deliciis quævis pagina mille fluat.

Senſimus incaluiſſe Deo præcordia: Qualis
Flamma ſinu! ſpirat mens radiata Polum;

Haurit inacceſſæ jubar haud effabile lucis:
Rore tuo ſaturor, dum pluis imbre, Deus.

Tu regis, hortaris, cohibes, trahis, acriùs urges:
Quò lubet, aura rapit: quò jubet ire, juvat.

Altiùs inſinuas venis, penitúſq; per artus
Diderus; adde tuas, adde repentè faces:

Me dirimit Ratio *à brutis*, Oratio *balbis*;
Sed me supra Hominem sancta Poësis *agit.*

Eia age, terrenum transcende, Poëtica, culmen;
Nugiloquis procul depropèrate sales.

Quàm sacer æthereo furor excitat igne Poëtas,
Cherubico quorum lumine corda calent!

Summa petunt ducúntq; novæ spiramina vitæ,
Flamina aromaticis anteferenda rogis.

Surgite cœligenæ decus ad cœleste Camœnæ;
Ebria sydereo nectare penna fluat.

Sola suos sacra Musa perennibus inserit astris,
Liberat è mundi carcere sola suos:

Ipsa scientificis animos afflatibus implet.
Cor micat, & raptis mens salit acta fibris.

Prudens SEDULI, PRUDENTI sedule, *quanti*
Vos pretii! Vobis Laus sua sceptra dicat.

Quique Deum *verum vero cumulârit honore,*
Hunc vero cumulat verus honore Deus.

Singultu ærumnas Heroõ panxit Iobus;
Psaltis *opus Lyrici composuere modi;*

Vatis Iambæis incedunt Threna *cothurnis;*
Ludit amans Elego Cantica Sponsa *pede.*

O quàm chara Deo! Quoties volat altiùs, alas
Sumere dignatur, Musa, COLUMBA tuas.

Pub-

Publicanus in Templo.

COnfiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. [b] Memor ero ab initio Mirabilium Tuorum. [c] Sed ad hæc quis idoneus? [a] Pſ. 107. 8. [b] Pſal. 77. 12. [c] 2. Cor. 2. 16.

Quid ſum? Quis? Qualis? Quantus? Quotus? Unde creatus? Quóve loco? Quorſum tendo? Quibuſve viis?
*Corpus, Homo, Miſer, Exiguus, Poſtremus, * Adamo, Viſcere materno, Nitor ad Aſtra, Fide.*

* Hebr. Terrâ rubrâ.

In Templi Offertorio.

ET ego noviſſimus aſſurrexi, tanquam is qui ſpicas legit poſt meſſores; & pluris hîc mihi racemus Theologiæ, quàm vindemia Rei poëticæ. Unum *Auguſtinum* mille Patribus, unum locum *Scripturæ* mille *Auguſtinis* præfero. Ipſe in ſenſu totus; quo conatus ſum aſyſtata conjugare, unire diſparata, ſparſa colligere, conciliare pugnantia, (verbo) diſſentanea conſentanea reddere, ídque in uniuſcujuſque clauſulæ ac verſiculi anguſtiis, ità ut emergat contrariorum non contrariantium numerus quaſi ad 3000 in hunc faſciculum conſtrictus. Difficillimum in ſe onus, necnon digniſſimum in quo omnes induſtriæ nervos intendam, nec antea quod ſciam ab aliquo ſuſceptum. Eccluſ 33. 17

Sunt ſalebræ, tamen ire juvat, quò me rapit ardor;
Inviáq; audaci propero tentare juventâ.

Voti autem me compotem ſtatuam, ſi vel filamentum aliquod, vel aciculam, quâ SPONSÆ palla ſubnectatur, minuto ſtyli mei punctulo figere potuerim; imò ſi vel uni animæ, uno momento, una aliqua pia cogitatiuncula ex hujus Libelli lectione exurgat.

Poëticas haſce Primitias (quales hæc ingenii mei tenuitas offerre poteſt) Tibi Deo Opt. Max. ego minor minimis miſerationibus Tuis proſtratus conſecro. At quis ego, ut obtineam vim ſponte offerendi hujuſmodi? nam ex Te ſunt omnia, & à manu Tua acceptum reddo Tibi. 1. Chro. 29. 14.

Præparatio ad TEMPLI MUSICAM.

ITe procul Vani, *procul hoc abſiſtite TEMPLO.*
Nil ego jam nugas Vatum ſine mente profanas,
Deliciáſve moror ſteriles: Meliora canemus,
Etſi non meliús. Gravior mihi provocat aures
Nobiliór Chelys: ſit Plectris gloria, JESU,
Te ſine nulla meis. Mens, dum Magnalia pangis
Mira Dei, propior diſces, & charior ipſi
Eſſe Deo; quem dum credens miraris, amare
Incipies, & amando, magis redamaberis ipſa.
Vade Liber, totíque celer fac cognita Mundo
Vel Solomonæo miracula digna Triumpho.

IN-


HINC • LVCEM • ET • POCVLA • SACRA
ALMA
MATER
CANTA
BRIGIA

INDEX.

¶ Decas Prima.

1 *Fides.*
2 *Trinitas.*
3 *Deus Creator.*
4 *Test. vet. Miracula.*
5 *Christus Redemptor.*
6 *B. V. Maria.*
7 *Christi* { *Incarnatio,*
8 { *Pueritia.*
9 *Novi fœd. Miracula.*
10 *Eucharistia.*

¶ Decas secunda.

1 *Trin Discussio.*
2 *Christi* { *Passio,*
3 { *Occisio,*
4 { *Descensio,*
5 { *Resurrectio,*
6 { *Ascensio.*
7 *Spiritûs Sancti Missio.*
8 *Ad Deum comprecatio.*
9 *Sui ad Christum deprecatio.*
10 *Mri Disquisitio.*

¶ Decas tertia.

1 *De Vitæ lubricitate.*
2 *De mundana cognitione.*
3 *De Honore.*
4 *De Rerum ubertate.*
5 *De Voluptate.*
6 *De Libidine.*
7 *De Afflictione.*
8 *De Afflict. & Voluptate.*
9 *De Fletu & Ardore.*
10 *De Animæ resignatione.*

Rom. 11. 33.

O profundas divitias tum Sapientiæ tum Cognitionis Dei! Quàm inscrutabilia sunt Ejus judicia, & viæ imperveſtigabiles!

SPHINX

Sphinx Theologica.

DECAS PRIMA.

FIDES.

SCRIPTURÆ.

DIxit Jesus, *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* [b] Per Fidem intelligimus compactum fuisse Mundum verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. [c] Per Fidem Abel majoris pretii sacrificium obtulit Deo quàm Cain, &c. & mortuus, adhuc per hanc loquitur. [d] Per Fidem Enoch fuit translatus, nè videret mortem; [e] consummatus in brevi multa explevit tempora. [f] Per Fidem ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis. [g] Quapropter & ex uno, eóque jam emortuo, nati sunt posteri tanquam astra cœli in multitudinem, & quasi arena quæ ad oram maris est innumerabilis. [h] Per Fidem Moses vidit eum qui est invisibilis: [i] Per Fidem transierunt Rubrum mare veluti per aridam terram. [k] Per Fidem mœnia Jericho conciderunt. [l] Per Fidem Prophetæ debellârunt Regna, obstruxerunt ora Leonum, [m] extinxerunt vim Ignis, effugerunt aciem Gladii; [n] Mulieres acceperunt de resurrectione mortuos suos, &c. [o] Si habeatis Fidem quantulum est granum sinapis, dicetis huic monti, *Tollitor & projicitor in mare*, & fiet, [p] & nihil impossibile vobis erit.

[q] Credo, *Domine*; adjuva incredulitatem meam.

a Joan. 11. 25.
b Heb. 11. 3.
c 4.
d 5.
e Sapient. 4. 12.
f Heb. 11. 11.
g 12.
h 27.
i 29.
k 30.
l 33.
m 34.
n 35.
o Mat. 17. 20.
p Mat. 21. 21.
q Mar. 9. 24.

CANTIO I.

De Fide.

SOlus eram (nec eram tamen illo tempore solus:
Tu sine temporibus temporis Author ades.
Solus, non solus: Sibi qui parétque, jubétque,
Sit licèt in Sylva, Sylva senatus erit.)
Solus agens, immensa Metris comprendere vellem,
Quæ melius possem mira silendo loqui.
Pango, nec humanis opus enarrabile verbis;
Lector, quæ nequeas lumine, mente legas.
Fasce brevi stringo quæ non capit ambitus Orbis;
Res incorporeas corporis orbe ligo.
Aggredior, Deus, *alta levi Freta cingere Gutta:*
Gutta erat in laudes, Fons, Pelagúsque, *Tuus.*
August. in Confess. *Tres una Oceanos concludere conor in Urna;*
Téq; ut Concha brevis claudat, Abysse, *paro.*
Una Trias, Deus & Mortalis, Vitáque Mórsque,
Et Virgo Nati Nata Parénsque sui.
Hìc undæ exuperant undas, & Abyssus Abyssum
Invocat: hîc modus est non habuisse modum.
Qui bene cœpit, habet medium, peragítq; volendo:
Quíque dolet quoniam non facit, ille facit.
Muta, loquente Deo, Ratio est & Lingua; scienda
Quæ non sunt, nunquam noscere, scire via est.
Anagr. Mirari *quàm* rimari *sapientia major:*
Quæ credi haud credis, crede, nec arte probes.
Vincere si cupias, cedens vincaris oportet:
Et, nisi sis victus, victor abire nequis.
Ipsa triumphatrix Ratio captiva recumbit:
Res incredibiles credimus esse Fide.

Absque

Absq; oculis cernens plùs, quàm Stagirita *gemellis,*
Prodigiosa facis tu manifesta, Fides.
Prompta tuo jussu leges Natura refigit;
Stat Sol, ipsa rigent Æquora, Saxa fluunt.
Sic mare concretâ fluidum citò dividis undâ,
Vertis in adversum prona fluenta gradum:
Sicq; tuus fervor rapidum refrigerat ignem,
Exsufflat flammam flamma, calórque focum.
Das Surdis haurire sonos, das reddere Mutis,
Frangere das Fragili, gignere das Sterili,
Currere das Claudis, lumen das lumine Cassis,
Sæpius & cæcum qui videt, esse probas.
Tu montes removes, tu vitam in morte recludis;
Víque tuâ mortis lex resoluta jacet.
Immundus Mundus, Probra dulcia, mœsta Voluptas,
Divitiæq; inopes, Cognitióque rudis,
Vilis Honor, Meritúmq; nocens, simul Ignis & Unda,
Re disjuncta, Fide fœdera pacis habent.
Per tam diversas felix concordia chordas:
Méque inopem rerum copia tanta facit.
Sphinx perplexa Sophos facilis. Tua, Dædale, jactas,
Quòd minùs Ars erret, quò magìs errat Opus.
Imò tuis labor intus abest, Labyrinthe, Meandris:
Hìc labor, atque quies; hìc mihi vita mori.
Da, Deus, illa canam, quæ vox non personet ulla,
Metiar & minimis maxima mira modis.
Ta duce, mortali pangam immortalia cantu,
Atque inimica metris conciliabo meis.
Tu mihi principium, mediũ mihi, Tu mihi finis,
Qui fine, & medio, principióque cares.
Tu, cui Finit & Infit *idem, simul Omnia & Unũ,* Anagr.
Expers Principii, Principiúmq;, fave. De

De Fide meditatio.

IN frequentiſſima multitudine homo contemplationi deditus ſolus ſecum verſari novit; & è contrà, in ſumma ſolitudine ſocietatis eſt divinæ particeps. Quum vel maximè ſum ſolitarius, tunc mihi præſtò adſunt millena millia teſtium: intra privatos mei pectoris parietes, Conſcientia mihi mille teſtes, extráque, Deus mihi mille Conſcientiæ.

In illius igitur honorem, qui inviſibilis exiſtens me & mea omnia contuetur, hoc quicquid eſt operis fidenti animo ſuſcepi.

Fides, inſcrutabilis eſt conſenſus. Nemo ſine fide bene facit, etiamſi bonum ſit quod facit. Hæc ima ſummis, hæc inſolita ſolitis ſociare gaudet; hæc prehendit inacceſſa, apprehendit ignota, comprehendit immenſa, deprehendit remota; imò ipſam Æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circumcludit: Quò plus enim Anima recipit fidc, eò ſe magis laxat ut plus recipiat.

Fide unum idémque eſt *miſericordia* & *juſtitia*; una eadémque perſona, *Deus* & *Homo*; una eadémque fœmina, *Mater* & *Virgo*; unus idémque Filius, hinc ἀνθρωπος, illinc ἀνθρωπος· unus idémque Chriſtus, nobis & *Judex* & *Advocatus*. Ut moroſopha quædam ſapientia, ità & ſapiens aliqua eſt ignorantia: Haud tutum eſt Arcam Dei nimis curioſè introſpicere, neque res obvelatas anxiè perſcrutari. Hîc humanæ non minima pars prudentiæ, æquo animo neſcire velle, quæ nefas ſcire; hîc docti pariter indoctíque conjunguntur; hîc ſubmiſſâ ignorantiâ nihil ſublimius, nihil doctius. Hæc quantò diutiùs conſideró, tantò mihi videntur obſcuriora. Quid ad me, ſi quis non intelligat? gaudeat & ipſe dicens, *Quid eſt hoc, quod nec Lector, nec Scriptor cognoſcit?* atque optet non inveniendo invenire potiùs quàm inveniendo non invenire Deum.

Mu-

Musica Templi.

Sacrosanctæ atque individuæ Trinitati.

SCRIPTURÆ.

[a] Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, *Pater*, *Verbum*, & *Spiritus Sanctus*; & hi Tres Unum sunt: [b] Et Tres sunt qui testimonium dant in Terra, *Spiritus*, *Aqua*, & *Sanguis*; & hi Tres Unum sunt.

[c] Sub Lege nihil erat perfectè consecratum, donec tria hæc transiissent; [d] 1. Aquam lustralem, 2. [e] Sanguinis asperſionem, 3. [f] Oleum sacrum, Sancti Spiritûs typum. Tum verò his tribus unum aliquod sacrum efficiebatur. Nobis itidem tria sunt necessaria; 1. Potestas *Patris*, ut homines (Aqua Creationem denotat; [g] Cœli enim ex Aqua constabant.) 2. *Filii*, ut Christiani (Sanguis [h] Redemptionem commemorat) 3. *Spiritûs Sancti*, ut [i] homines spirituales evadamus. Et hæc tria unum sunt. In [k] Christi baptismo, Tres sensui distincti; [l] *Pater* in voce, *Filius* in flumine, *Spiritus Sanctus* in Columba; & hi Tres Unum sunt. [m] *Ego* (inquit *Deus Filius*) *rogabo Patrem, & Ille alium Paracletum dabit vobis.* Hîc *Ego*, & *Ille*, & *Alius*; *Filius*, & *Pater*, & *Paracletus*; *Filius* orans, *Pater* donans, *Paracletus* consolans; Tres personæ, Unum deitate sunt. Pater *Filium* in pretium, *Paracletum* in solatium, *Seipsum* dat in præmium; & illi Tres unum electis donum.

[a] Joan. 5. 7.
[b] Joan. 5. 8.
[c] Lev. 14. 2.
[d] 8, 9,
[e] 14,
[f] 15, 16, 17, 18.
[g] Gen. 1. 6, 7, 8.
[h] Exod. 12. 7, 13. 27.
[i] Rom. 8. 14, 15, 16.
[k] Matt. 3. 16
[l] Matt. 3. 17
[m] Joan. 14. 16.

De

CANTIO II.

De beatiſsima Trinitate.

COeli trina Monas, Trias una, faveto precanti,
Una Trias ſummi trina Monáſq; Dei.
Unum Numen habes, nec perſonaliter Unus:
Una Trium Deitas, in Tribus Unus Apex.
Unus, in hoc Uno Tres, his Trib° Unus & Omnes:
Totus es ex Toto, Tres Deitate pares.

Tres Unum, nec Tres tamẽ Una, ſed in Tribus U-
Perſonæ tres, Tres non tria, Tres & idẽ: (nus:
Una in Perſonas manans Eſſentia plures,
Et Natura manens una eadémque Trium.
Perſonis diſtincta Trias, conjuncta Vigore:
Trine-Monarcha idem Fœdere, Jure, Throno.

Ens ſimplex, Specimen trinum, ter Hypoſtaſis una:
Non aliàs Alius Numine, Luce, Statu.
Nec gradus aſcendens, Uno neq; dignior Alter:
Nempe quod Alter habes, Alter & Alter habes.
Quod Pater, hoc Natúſq;, & Flamen; nterq; beato
Cum Patre non Idem, cum Patre prorſus idem.

In

In Patre Natus ineſt, in Pneumate cum Patre Natus;
Ingenitus, Genitus, quod Paracletus, agunt.
Sunt tria, ſunt & idem, Fons, Flumen, Gurges aquarũ:
Trina manent unum, Sol, Jubar, indè Nitor:
Unum trina ſimul ſunt, Noſcere, Velle, Vigere:
Sic tria, ſic unum, Spiritus, Unda, Cruor.

Tres unum eſſe Deum, ter Numen credimus unum,
Sunt indiviſim Tres, Tribus æquus honor.
Nec Genitor ſenior, gignendo nec abſtrahit ipſi;
Nec prius, aut medium, poſteriúſve Trium.
Tres, neq; pluralis Deus, Unus in ordine trino,
In ſe quò lucet plùs, minùs indè patet.

Ergò quid hæc nunquam evolvenda revolvere conor?
Iſta, ſatìs Fidei, qui bene neſcit, habet.
Tu Deus, in trino Deus unus, Trinus in uno;
Unica Perſonis Res, Deus une, Tribus.
Une, ter-une fave; Trin-unus adeſto colenti,
Sancte Pater, Fili, Spiritus, *Vna Trias.*

De

De Sanctissima Trinitate meditatio.

RAra Anima, quæ dum de Te, Deus, Una Trinitas, & Trina Unitas, loquitur, sciat quid loquatur. De Te, qui non es aliàs aliud, & aliàs aliter, sed Idipsum, & Idipsum, & Idipsum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. Tres non statu sed gradu, nec substantia sed forma, nec potestate sed specie. Tres, quorum Nullus est Idem qui Alius, licèt Una Substantia: Et tamen Unum non possum cogitare, quin Trium fulgore mox circumfundar; nec Tria possum discernere, quin subitò ad Unum referar. Jubar & Lux à Sole, Lumen & Nitor ab utrisque provenit; quæ tamen realiter non differunt. Quid distant *Esse*, *Nosse*, *Velle*? Sum enim, & Novi, & Volo: Sum Sciens & Volens, & Scio Esse me, & Volo Esse & Scire. In his igitur tribus quàm sit inseparabilis Vita, & Una Vita, & Una Mens, & Una Essentia, quàm denique inseparabilis Distinctio, & tamen Distinctio, distinguat qui potest. Sunt enim (quoad extra) Singula in Singulis, & Omnia in Singulis, & Singula in Omnibus, & Unum Omnia. In Deitate *Unus*, *uniens*, & *unitum* omnino unum punctum sunt. Et hoc intelligere quis Hominum dabit Homini? Quis Angelus Angelo? Quis Angelus Homini? A Te petatur, in Te quæratur, apud Te pulsetur: sic accipietur, sic invenietur, sic aperietur.

O beata Trinitas, ô Trinitatis Unitas, ô Unitatis Deitas, ô Deitatis beatissima Visio, Te scrutari temeritas, credere pietas, nôsse vita æterna!

Amen.

Deo

Deo Patri.

SCRIPTURÆ.

[a] ALtior tu *Jehovah* altiſſimis Cœlis; quid agam? profundior Abyſſo; quid cognoſcam? [b] A ſeculo & uſque in ſeculum Tu es Deus: [c] Apud te dies unus ſicut mille anni, & mille anni ſicut unus dies. [d] Tu primum, etiam ultima operaris. [e] Tibi, antequam crearentur, nota erant omnia. [f] Intellexiſti cogitationes meas de longé. [g] Tui oculi decies millies ſole lucidiores: [h] Qui amicis te luce tanquam panno, extendens cœlos tanquam aulæum; [i] qui contignas in aquis cœnacula tua; qui diſponis denſas nubes in vehiculum tuum; qui itas ſuper Alas venti; qui facis Miniſtros ignem flammantem: [k] Cujus via cum turbine & procella, & nubes pulvis pedum tuorum. [l] In ſaxum adamantinum mittis manum tuam, evertis radicitus montes. [m] Liquefient ipſi montes ſub Te, & ipſæ convalles diſſilient, tanquam cera à conſpectu tuo, ut aquæ diffuſæ in declivem locum. [n] Qui dirupiſti petram; & fluxerunt aquæ; abierunt in ſicco flumina. [o] Increpans mare arefeciſti ipſum, & omnia flumina exiccas. [p] Qui dediſti in mari viam, & in aquis validis ſemitam. [q] Qui interrupiſti mare, & perduxiſti populum, & ſtatuiſti aquas quaſi in utre. [r] Qui auges gentes & perdis eas, expandis gentes & abducis eas. [s] Qui vivificas mortuos, & vocas quæ non ſunt, tanquam ſint. [t] Omnes gentes velut nihil coram te, [u] minus nihilo & inanitate reputantur tibi, [x] quoniam tanquam momentum ſtateræ eſt totus Mundus coram Te, & tanquam gutta roris deſcendens manè in terram.

[a] Job 11.7.
[b] Pſal. 90.2.
[c] 2. Pet. 3.8.
[d] Iſa. 41.4.
[e] Ecclus 23. 20.
[f] Pſal. 139. 1.
[g] Ecclus 23. 19.
[h] Pſal. 104. 2.
[i] Pſal. 104. 3, 4.
[k] Nah. 1.3.
[l] Job 28.9.
[m] Mic. 1.4.
[n] Pſ. 105.40
[o] Nah. 1.4.
[p] Iſa. 43.16.
[q] Pſal. 78. 14.
[r] Job 12.23
[s] Rom. 4.17
[t] Dan. 4.35.
[u] Iſa. 40.17.
[x] Sapi. 11. 23.

De

CANTIO III.

De Deo Patre.

Infinibilis. NAtura Natura, & Originis author, & expers;
Semper & es quod eras, semper & es quod eris,

Perpetuus sine momentis, antiquior Ævo;
Non Tibi transit heri, nulla futura cadunt.

Finis, Apex, sed utroque carens, neutrius egenus:
Una Dies seclum, secla Tibi una dies.

Omnipotens. Cùm libet, exiccas freta conglomerantia; fontis
Currit Iordanes in caput ipse sui.

Si leviter tangas, fumant ad sydera Montes;
Si vel despicias, undique Terra tremit.

Te reboante fluunt cautes; ut cera liquescunt:
Æstas Te friget vindice, fervet Hyems.

Omnisator. Necdum facta, Tuum vidit, Deus, omnia Lumen;
Ipse Tui atque Opifex, atque Opus Ipse Tuum.

Ipsus es Esse Tuum, Tu Te subsistis in Ipso:
Qualibet abs uno sunt, aliunde nihil.

Ex nihilo alta cavi fundamina ponis Olympi;
Emicat ex una plurima stella manu:

Terram materiâ non existente creâsti:
Non erat omne quod est, non erit omne quod est.

Non

Non Te diminuis, licèt à Te singula promas:
Non Te vel major, vel potes esse minor:

Immaterialis.

Augeri nescis, nescis decrescere. Nerêus
Haud minor, haud major, quando recedit aqua.

Magnus, nec quantus; Totus sine partibus; Ipsi
Ipse modus, sed nec Te modus ullus habet.

Nec locus aut tempus Tibi semper ubiq; locorum:
Maximus es minima cordis in arce, Deus.

Nec Te continuit, qui singula continet, Orbis:
Incircumscriptus stas ubicunque libet.

Incircumscriptus.

Centrum & ubiq; Tuum, Circúmq;-ferentia nus-
Nullibi meta mea est, meta & ubiq; mea est. (quam:

Cuncta replens, totum Te molem fundis in omnem,
Interiúsq; lates, exteriúsq; nites.

Intra cuncta venis, sed non inclusus in istis:
Extrà, haud exclusus, cuncta, Creator, agis.

Non ductus mercede Opifex, sine lite Patronus,
Absq; statu stabilis, mobilis absq; gradu:

Impassibilis.

Cœlum immotus agis, constans facis astra rotari:
Æquor humúmq; moves, nec Tibi motus inest.

Ipse idem perstans, renovas hæc omnia, Dextrâ
Solus qui solvis cuncta, ligásque Tuâ.

Absq; ortu Sol semper agens, sempérque quietus:
Expectant nutum Vitáque Mórsque Tuum.

Impetrabilis. Velle *Tibi* posse *est*; fecisse *est ipsa Voluntas*:
Lumen inaccessum Tu, sed ubique micas.
Visibilis de Fonte Latex, non visibilis Fons
Ipse Deus; Fontis Guttula quaque Mare est.

Καρδιογνώστης. *Cuncta patent secreta Tibi, sensúsque latentes*
Perspicis, & recti pectoris ima vides.

Omniscius. *Aspicis absq; oculi lucentis imagine lucem:*
Lux est umbra Tui, lucis es Ipse dies.
Auris & anfractu sine curvo qualibet audis;
Muta Tibi clamant, & sine voce sonant.
Tu poteris cunctos sine gustu nôsse sapores;
Omnia Tu retines, & regis absque manu.

Ineffabilis. *Notum nomen habes, & inenarrabile numen:*
Principium numeri Tu, numeróq; cares.
Quid Deus es? vel ubi? nihil, omnia, nusquã, & ubiq.
Quid Deus? ah, Cor amans dicito; Lingua silẽ.
De Te saltem aliquid novi, nil nôsse fatendo:
Istud Socratice, me scio scire nihil.
Musa tace, dicat Reverentia muta JEHOVAM;
Nil magè, Musa, cupis, nil minùs ipsa capis.

Incorporalis. *Vita Deus sine morte, Quies sine Marte, sine umbra*
Lux, sine sævitia Lex, sine nocte Dies:
Hanc sine nocte Diem, Vitam sine morte, Quietem
Da sine Marte, Dies, Vita, Quiésq; DEUS.

DE

De Deo Patre Meditatio.

ANte principium, qui eras quando Tempus non erat adhuc, qui es quamdiu Tempus est, qui eris quando Tempus non erit amplius. Ante, & post omnia totus unus Ipse; cui præterita stant præsentia, & futura sunt præterita. Nunquam novus, nunquam vetus. Sol sine limite occidentis; sempiternitas sine momentis; Præsens es, sed sine lapsu; Lætitia es, sed sine gestu; zelas Tu & es securus, irascéris & es tranquillus: sine qualitate bonus, sine quantitate magnus: proximus & altissimus, misericors & justissimus: stabilis & incõprehensibilis, mutans omnia & immutabilis. Tibi pervium omne solidum, Tibi apertum omne secretũ; obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur. Reddis debita, nulli debens; donas singula, nihil perdens; largiris omnib⁹, nil amittens. Solus Tuum Esse es, quoniam ex Te solo es. Apud Te rerum instabilium certæ stant stationes, & rerum mutabilium immutabiles manent origines, & irrationalium constant rationes, & temporalium sempiternæ sunt generationes.

Scimus hæc, gratias Tibi, cujus sapientiæ si nostra conferatur scientia, prorsus est ignorantia. Ipse pulcher se suâ Titan prohibet videri luce. Væ tacentibus de Te, ô Abyssorum Abysse, quoniam & loquaces muti sunt.

Testamenti Vet. miracula.

SCRIPTURÆ.

[a] Isa. 40. 22 [b] Amos 5. 8 [c] Job 26. 7. [d] Isa. 40. 12 [e] Gen. 2. 7. [f] Rom. 4. 18 [g] 1. Sam. 2. 5. [h] Psal. 113. 8. [i] Psal. 136. 13. [k] Psal. 106. 9. [l] Isa. 63. 13. [m] Psal. 114 3. 4. [n] Psal. 107. 33. [o] Psal. 107. 35. [p] Psal. 78. 16. [q] Psal. 114. 8. [r] Psal. 147. 7. [s] Isa. 29. 18. [t] Psal. 148. 5. [u] Joan. 1. 3. [x] Joan. 10. 35.

[a] Benedictus Dominus Deus, qui extendit velut conopæum Cœlos, & distendit eos sicut tentorium ad habitationem: [b] Qui mutat in matutinum densissimam umbram, & diem nocte obtenebrat: [c] Qui extendit Aquilonem super inane, suspenditque terram super nihilum: [d] Qui mensus est pugillo suo aquas, & cœlos spithamâ expendit; complexúsq; est trientali pulverem terræ, & ponderavit statera montes, & colles lancibus: [e] Qui finxit hominem de pulvere terræ, qui sufflavit in nares ipsius halitum vitæ: [f] Qui dedit Abrahamo contra spem, sub spe credere, fore ut ipse fieret pater multarum gentium: [g] cui sterilis peperit plurimos: [h] Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem: [i] Qui divisit mare rubrum in divisiones: [k] Qui increpuit mare & exiccatum est, & deduxit Israëlitas in abyssis sicut in deserto: [l] Qui egit eos per abyssos tanquam equum, per desertum adeò ut non impegerint. [m] Mare vidit & fugit, Jordanes conversus est retrorsum: Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium. [n] Qui posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: [o] Qui posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum: [p] Qui eduxit undam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas: [q] Qui mutat ipsam rupem in stagnum aquarum, saxum adamantinum in fontem aquarum. [r] Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos: [s] Qui dicit per Prophetam, Audient in illa die surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. [t] Dixit, & facta sunt [u] per *Verbum* omnia. Ipse *Verbum*. [x] Verbum Dei non potest solvi, sed solvit & absolvit universa.

CANT.

CANT. IIII.

De Vet. Test. Miraculis.

Deus.

Gen. 1. 1.

Quicquid erat, DEUS illud erat; Quodcunq;
Ubicunque;
Seu Res illud erat, seu Locus illud erat.

Lux.

Gen. 1. 16, 19.

Ista Diem sine Sole patet, sine Sidere Lumen;
Quin fulsisse patet tres sine Sole dies.

Creatura.

Gen. 1. 24, 25.

Accepere Genus sine Germine jussa creari,
Semen & his Verbum *sic voluisse fuit.*

Homo.

Gen. 2. 7.

Segnis Terra novos Vitæ formatur in usus,
Et Vir fit, nunquam qui fuit antè Puer.

Adam-Eva.

Gen. 2. 23, 24.

Unum Corpus, ab hoc uno duo Corpora fiunt;
Corporéque in gemino mens tenet una duos:

Conjux.

Marc. 10. 8, 9.

Sic Duo non Duo sunt, Unus non Unus; at Unus
Est Duo, dum Duo sunt Unus, & Alter idem.

Conjugium.

Gen. 5. 4, 7.

Duplex ex una, duplici de carne fit una,
Eq̃, una duplici millia multa fluunt.

Eva.

Gen. 2. 22, 25.

Matre carens, nec nata, Parens fuit omnibus una;
Primo facta Soror, factáque Nupta die.

Eva-Adam.

Gen. 3. 3. Gen. 2. 17.

Vita parit Mortem, cunctique ferimur in uno;
Vulnus habet nondum nata Propago suum.

Cain.

Gen. 4. 1.

Edidit Hunc Mater, cùm nondum vixerat annum,
Fons eadem nato Vita, & origo Necis.

Diluvium.

Gen. 7. 23. Gen. 7. 19.

Arca Creaturas vasti tenet unica Mundi;
Quod medio queras gurgite, littus habet.

Lothi Uxor.

Gen. 19. 26.

Fœmina fœmineo stabat sine corpore; imago
Scilicet hæc Sapiens Insipientis erat.

Lothiss æ.

Gen. 19. 36.

Nata Patri dicat, Pater es meus, & meus es Vir;
Te Natura Patrem dat mihi, Vina Virum.

LOTHI NEPOTES.

Gen. 19. 37, 38.

Hi simul & Matrum Fratres, Matrúmque Propago;
Túque ambobus Avus, Lothe, Patérque cluis.

SARA.

Gen. 21. 1, 2. Gen. 11. 30.

Marcida grandæva inveneſcunt viſcera Nupta,
Concepto ſterilis ſemine Mater ovat.

ABRAHAMUS.

Gen. 22. 9, 10.

Augetur Divinus amor, ceſſante Paterno;
Perfidus ille fide eſt, impietate pius.

ISAAC.

Gen. 22. 12. Rom. 4. 18.

Ipſi Spem ſtirpis PATRI *Pater ipſe redonat:*
Spes pia, Spem contra, Spe meliora tulit.

RUBUS.

Exod. 3. 2, 3.

Ecce Rubus rutilo viridis permanſit in igne;
Frondea purgatrix Robora flamma polit.

MARTYR.

Iſa. 48. 10.

Ut Rubus ardet, itémque viret: Sic Martyr eodem
Conficitur pariter, perficitúrque rogo.

VIRGA. AFFLICTIO.

Exod. 4. 3, 4. Prov. 28. 1. Rom. 8. 28.

Mitis in immitem Virga eſt animata Draconem:
Virga Malis Draco ſit; ſit Draco Virga Bonis.

PONTUS, PONS.

Exod. 14. 21, 22.

Fluctus Erythræa quasi Marmor substitit unda,
Et mare securas dat sine nave vias.

MARE, MURI.

Exod. 15. 8, 14, 29.

Pervia divisis patuerunt cærula Pontis,
Mœniaque ex fluido firma stetere Sale.

PHARAONIS EXERCITUS.

Exod. 15. 9, 10, 19.

Nec Pelagi siccas humectat semita plantas;
Et Piscatores pro dape Pisces habet.

MANNA. PETRA.

Exod. 16. 14, 15. Exod. 17. 6.

Rore epulæ stillant siccæ, pluit Alite cœlum,
Solvitur in Potus, ebibitúrque Petra.

LAPIDES, LATICES.

Num. 28. 8, 11, 13.

Cæsa repentinis humus arida bullsit undis:
Cur ita cæsa gravi verbere flevit humus.

AARON.

Levit. 9. 24. Num. 17. 8.

Ascendère Preces, simul æthere decidit Ignis:
Arida mirando germine Virga viret.

BALAAM.

Num. 22. 27, 28, 33.

Cæcus mysta, Asinúsq; videns; humanus Asellus,
Vates brutus; Homo discis, Aselle doces,

ASINUS PROPHETA.

Job 12. 7. 2. Pet. 2. 16.

Ipse Asellus erat Doctor modò legis, & Ipse
Qui modò legis erat Doctor, Asellus erat.

JORDANES. JERICHO.

Josh. 3. 16, 17. Josh. 6. 20.

Rex Fluvius refluis perterritus abstitit undis;
Procubnere Tubæ mœnia pulsa sono.

SOLSTITIUM.

Josh. 10. 12.

Ponere jura cito Vir prævalet unus Olympo,
Et rapidi properos sistere Solis equos.

LUNA STANS.

Josh. 10. 13, 14.

Luna retardato subsistit in æthere cursu,
Spectet ut immotus prælia sera Polus.

GIDEON.

Judic. 6. 37, 38, 39, 40.

Area Vellus habet, madido sed Vellere sicca est;
Siccum tota madens Area Vellus habet.

SAMSON.

Judic. 15. 15, 18, 19.

Osse viros dare mille neci valet unus inermis,
Ossis & exucci fonte levare sitim.

ÆNIGMA.

Judic. 14. 8, 9. Judic. 15. 4. Judic. 16. 21.

Mitia mella feri stillant ex ore Leonis.
Captus, tot captis Vulpibus, Ipse fuit.

DALILA.

Dalila.

Judic. 16. 16, 17, 18.

Quem Leo non potuit, potuit Lupa vincere: pugnâ
Asperiore viget, debiliore cadit.

Elias.

1. Reg. 17. 6, 21, 22, 23.

Quem modò jejunum Corvi pavere rapaces.
Hic Animæ elusâ Morte redire dedit.

Oleum inconsumptum.

1. Reg. 17. 16. 2. Reg. 2. 8.

Vescitur hic Oleo nullâ quod finxit olivâ;
Prabuit huic solidam mobilis unda viam.

Flammeus currus.

2. Reg. 2. 11, 12.

Integer igniflui ascendit ad Astra quadrigis;
Non Hominum fines appulit ortus Homo.

Elizeus.

2. Reg. 3. 16, 17.

Alter & inverso sistit vaga Flumina cursu,
Exustámque novis replet Eremon aquis.

Jordanes. Eremus.

2. Reg. 2. 14. 2. Reg. 3. 17. (recedit;

Quis novus hic Moses? ubi Lympha est, Lympha
Nulla ubi Lympha fuit, multa ibi Lympha fluit.

Shunamita.

2. Reg. 4. 34, 35, 42, 43, 44.

Viventes iterum post funera reddidit artus;
Centum bis denis panibus ora cibat.

Ferrum

Ferrum Natans.

2. Reg. 6,6. 2. Reg. 13. 21.

Amnis lapsa gravis, levis enatat amne securis:
Ossa profana sacris mista, repentè vigent.

Ezechias.

2. Reg. 20. 6, 9.

Addita lustra fuere viro tria morte notato,
Postquam retrò actis Sol trepidâsset equis.

Aliter:

2. Reg. 20. 10, 11.

Cùm denis pronas gradibus revocâsset habenas,
Eôus Vesper, Vesper Eôus erat.

Ezekiel.

Ezek. 37. 7, 8, 9, 10.

Arida dispersi junguntur corporis ossa,
Et longo cöeunt jam putrefacta situ.

Ananias, Azarias, & Misael.

Dan. 3. 19, 20.

Torridus humanis clementior Ignis Ocellis:
Præbet agente Deo lethifer æstus opem.

Angelus.

Dan. 3. 25, 26.

Tres fiunt quatuor, Quartúsque intersecat ignes:
Edomita crinem nec rapuere faces.

Tortores torti.

Dan. 3. 22, 27.

Proxima præteriens, in dissita transilit ardor;
Lambit, non mordet, Corpora sancta rogus.

Creatura

CREATURA. CREATOR.

Dan. 3. 21, 28.

Urere rex jussit, vetuit REX urere Sanctos:
Attonito victor regnat in igne chorus.

ROGUS, ROSA.

Dan. 3. 28, 23.

Recreat hos Fornax, ceu textilis umbra Lyæi;
Sustinuere Rogos, obtinuere Rosas.

SALAMANDRA.

Heb. 11. 25, 34.

Sic mediis inaduste viges, Salamandra, caminis;
Perdit & ignis erit, te refovendo, suam.

HOMO DEGENER, HOMO REDUX.

Dan. 4. 33, 34, 36.

Qui Jovis instar erat, mox hic Bovis instar arabit;
Qui Bovis instar arat, mox Jovis instar erit.

DANIEL.

Dan. 6. 22.

Ut sit Homo humanus, docet effera Bellua; cujus
Ungue recumbit Amor, Fauce resurgit Honor.

LEONES, AGNI.

Dan. 6. 23. Gen. 1. 16.

Præda adblanditur prædatrix turba Leonum:
Nempe Vir hic, post tot Secula, primus erat.

JONAS.

Jonas, Columba.

Jon. 1. 12, 15.

Æquore fit Mergus, nec in æquore mersa Columba;
Instabilis stabili quam tegit unda fide.

Infernus, Hospitium.

Jon. 1. 2, 7, 9.

In rate mœstus, ovans in vivo remigat Orco;
E Barathro gratas mittit ad Astra preces.

Balena Hospes.

Jon. 1. 17. Jon. 2. 10.

Naufragus appellit vastum ceu littora cetum:
Belluæ sæva Maris viscera Matris habet.

Sepulcrum, Cunabula.

Jon. 2. 6.

Fit stomachus Carcer, simul hic fit Carcer Asy-
Ad Vitam rediens sic periisse fuit.

De Testam. Vet. miraculis Meditatio.

BEnedicam Jehovæ, qui agit in non Ens, faciendo ut sit Ens, ipse existens extra omnes fines Entitatis: Qui duo fecit carentia temporibus in principio, ante omnem diem, cùm Deo ipsi neutrum coæternum sit. Fecit Cœlum & Terram, nec in Cœlo, nec in Terra, nec in Aëre, nec in Aquis, quoniam & hæc pertinent ad Cœlum & Terram: Neque in universo mundo fecit universum mundum; quia non erat ubi fieret, antequam fierer id quod erat. Qui, ipse non est forma corporea, fecit tamen formam corpoream ad imaginem suam. Tu, *Domine*, fecisti omnia, qui pulcher es, pulchra enim sunt; qui bonus es, bona enim sunt; qui es, illa enim sunt. Nec ità pulchra sunt, nec ità bona sunt, nec ità sunt, sicut Tu Conditor eorum; cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Nos quæ fecisti ità videmus, quia sunt; Tu autem quia vides, ità sunt. Tuum Beneplacitum est Potentia, Tuum Opus Voluntas. Nec modò velle hoc, modò illud soles; sed semel, & simul, & semper voluisti & voles omnia, quæ jam vis: Qui ea quæ non semper, nec eodem modo sunt, eodem modo semper nôsti omnia, ibique vidisti facta, ubi vidisti facienda. Omnia in Tuo *Hodie*, qui semper es idem, fecisti, *Domine*. Nec in Te peragitur hodiernus dies, & tamen in Te peragitur, quia in Te sunt & ista omnia. Non enim haberent vires transeundi, nisi contineres ea; & quoniam Anni Tui non deficiunt, Anni Tui hodiernus dies. Ad hodiernum diem omnia ista providentiâ Tuâ conservas. Et exhibebit undarum effluentium fontem saxosa rupes, & urna vel sicca olei rivos; ipsâ absumptione numerosior panis evadet; imò ipsæ nubes cellæ penariæ fient, & ventus immittet coturnicum fercula, & corvi supplebunt commeatum, & una Arca sufficiet non solùm habitaculo, sed & pabulo omnium animalium aeris & terræ, priusquam filii hæreditatis necessario convictu destituentur.

De

De Domino nostro JESU CHRISTO.

SCRIPTURA.

IN principio erat *Verbum*, & *Verbum* erat apud Deum, & Deus erat *Verbum*. [b] Ille A & Ω, Principium & Finis, Primus & Ultimus: [c] Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui Erat & Est, & Venturus est: [d] Heri & hodie idem, & in secula. [e] Rex regum, & Dominus dominantium; qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam; quem vidit nemo hominum, nec videre potest: [f] Qui est imago Dei invisibilis, & Primogenitus omnis rei conditæ: [g] Qui est Filius Davidis, [h] & tamen priusquam Abrahamus exiterat, ille dixit: Qui post Baptistam venturus est, & ante eum est, quia prior illo erat: [k] Quem cognoscent omnes Ecclesiæ Scrutatorem renum & cordium: [l] Cujus Oculi sicut flamma ignis, & in Capite ejus diademata multa, habens Nomen scriptum, quod nemo novit, nisi Ipse: [m] Qui est ille lapis abscissus de monte sine manibus, [n] qui factus est mons magnus, ità ut impleverit universam terram: [o] Qui est Via, Veritas, & Vita; nemo enim venit ad Patrem nisi per Eum: [p] Quo Pater *major* est; [q] Ipse tamen & Pater unum sumus: [r] Cognoscimus enim Illum esse in Patre nos in Illo, & Illum in nobis. [s] Hæc dixit Sanctus & Verax ille, qui habet clavem Davidis; qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. [t] Gratia sit nobis & Pax à *Qui est*, & *Qui erat*, & *Qui venturus est*. Amen.

a Joan. 1. 1.
b Rev. 22. 13
c Rev. 4. 8.
d Heb. 13. 8
e 1. Tim. 6. 16.
f Coloss. 1. 15.
g Matt. 9. 27.
h Joan. 8. 58.
i Joan. 1. 15
k Rev. 2. 23
l Rev. 19. 12.
m Dan. 2. 34
n Dan. 2. 35.
o Joan. 14. 6
p Joan. 10. 30.
q Joan. 14. 28.
r Joan. 14. 20.
s Rev. 3. 7.
t Rev. 1. 4.

De

CANT. V.

De Domino nostro JESU CHRISTO.

Christus Verbum.

DE solo solus, totum de numine numen,
Lux de luce, Deo de genitore Deus.

Numen idem ambobus, Deus unus uterq;, nec Idē;
Utq; Pater Tecum, cum Patre semper eram.

Illo Authore satus, cui nullus præfuit Author:
Gignit ut æquævum Sol sibi luce Jubar.

Non cœptus, licèt ortus eram; nec junior ullo;
Tempore par Patri, cùm neque Tempus erat.

Θεάνθρωπος.

Nec tempus, cùm natus eras, nec erat locus; atqui
Immensum tempus suscipit, atque locus.

Ante Chaos genitus, simul Ipse novissimus ortus;
Ipse sub extremum temporis, Ipse prior.

Euge coæve Patri, sed matre antiquior, euge!
Quæ mater? Virgo. Quis Pater? ipse Deus.

Ecce novum! sine Matre Patrē, sine patre paremē!
Sic parit hæc hominem, gignit ut Ille Deum.

Illic matre carens, nihil istic ex patre sumens:
Hâcq; Parente Caro est, hócq; parente, Deus.

Mensura immensi, majórq; minórq; Teipso:
Ut sine matre Deus, sic sine patre Caro.

Mor-

Mortalis matris Pater immortalis Ieſus:
O carnis figulum participémque meæ!

Ἀσυγχύτως, *aliûdq; aliûdq;, nec Alter & Alter;*
Filius idem Hominis, Spirituúmque Pater.

Ἀδιαιρέτως, *non juncta Deo perſona virilis;* Contra Neſtorium.
Perſonata Λόγῳ ſed Deitate caro.

Non abſorpta Deo unito Natura virilis; Contra Eutychen.
Inconfuſa caro, non caro verſa Deus.

Perſonis TRIADOS Subſtantia competit una:
Vnica Perſona hîc continet * Eſſe *triplex.* * Deitatis, Animæ, Corporis.

Es quod eras, nec eras quod es, es gen⁹ unus utrũq;:
Naturas geminas unio mira ligat.

Fons bino de Fonte fluens, conſórſque duorum,
Qui Deus, alter Adam, bis ſatus, unus ades.

Vita Tuum Verbum, Tu Verbum *Vitáq;* Verbum
Quod Caro, qua fit Homo, qui manet uſq; Deus.

Non Homo, ſed Deus eſt ſine Carne & Corpore Verbum;
Sermo *Carofactus, nunc Deus eſt & Homo.*

Carnis habens mediam, ſummam Patris, & Stygis imam,
Summa, ima, media Rex Regionis ovas.

Ex ſocians Mortale Deo Deus; Ipſe Deúmque
Mortali ſocians es Caro; uterque ſimul.

Vnus in ambobus, Deus & Caro, ſummus & imus;
Scilicet es ſummo lapſus ad ima Polo.

Totus Homo, totúſq; Deus, totaliter unus:
Induit humanum corpus & oſſa Deus.

Mitis ut eſt agnus, leo ſic ferus; attamen Idem
* Apoc. 5. 5, 8. ** Agnus es, & (titulo dignus utroque) Leo.*

Paſtor, Ovis; Pretium mei, & Emptor; Janitor, atq;
Janua; Tu Via, Tu Dúxq; Coméſq; via:

Officia Chriſti, Regale, Propheticum, Sacerdotale.
Vinitor es, Vitiſq;, Monarcha, Propheta, Sacerdos,
Victima; Dira fuit, ſancta ſit ara crucis.

* Vermis ſum non homo. Pſal. 22. 6.
*Qui modò factus Homo, ſis *Vermis, non Homo; cun-*
Jam tum ſubter eras, qui ſuper unus eras. (Eos

Nate bis, atque æterne, Patriq; coæve, ſalúſque,
Sis in me, velut in Te Pater, Ipſe Patre.

De

De Christo Meditatio.

Tu Dominus meus, Pater meus, Timor, & Desiderium, Præsidium & Redemptio, Sacrificium & Sacerdos, Judex & Advocatus, Optio pariter & Fruitio, Spei Vita meæ simul & Spes Vitæ. Unus omnibus omnia. Si febribus æstuem, Refrigerium es; si iniquitate graver, Justitia es; si auxilio indigeam, Virtus es; si tenebras fugiam, Lux es; si cœlum desiderem, Via es; si esuriam, Cibus es. In te Cœlum descendit, ambitq; & desponsat sibi Tellurem in æternum. Tibi tres Substantiæ, duæ Naturæ, Persona una: Unio *personalis*, non *personarum*; unio *naturarum*, non *naturalis*. Qui naturalis es Dei Filius, & coævus Patri Deus, jam Deus-Homo fis, ex utroque unum, ut faceres unum ex utroque. Scriptum est, *Dixi, Genui:* dicendo genuit Te æternus Pater. Quà Deus, ineffabiliter genitus, quà Homo, ineffabiliter conceptus. Filius Dei, *Verbum* Patris coæternum, *Verbum* Deus: quod sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia. Filius Hominis, pro nobis factus Caro per nativitatem, nobiscum factus Contubernalis per consortium, in nobis Phosphorus per gratiam. Tu mundo *Soter*. (* *hoc ità magnum ut Latinè exprimi nequit.*) In brevi voce Breviarium. Propter Teipsum fide- * *Cic. in Ver.* 4.
le est Testamentum, quia Ipse Mediator Testamenti ejusdem, Ipse Signator, Ipse Fide-jussor, Ipse Testis, Ipse Hæreditas, Ipse Cohæres Testamenti. *Domine Verbum*, Tuum est lumen, in cujus lumine videbimus lumen, Teipsum in Teipso, Mysterium in ipso lumine occultatum. Quid simile Verbo Tuo, in se permanenti sine vetustate, & innovanti omnia? Nec fallar in eo, nec fallam ex eo. Ubi mirabilis fluvius, placidus & profundus, in quo Agnus peditet, atque Elephas natet. Odi hostes Verbi Tui, Deus misericordiarum, odi amanter: O si vulneres eos gladio utrinque acuto, ut sanentur:
sic enim in odio cupio ipsos occidi sibi,
ut vivant Tibi!

De Beatissima Virgine Maria.

SCRIPTURÆ.

a Isa. 7. 14. b Matth. 1. 23. c Luc. 1. 35. d Mat. 16. 13 e Luc. 1. 31. f Gen. 49. 10 g Isa. 7. 14. h Jer. 23. 5. & 33. 15. i Dan. 9. 25. 26. k Luc. 1. 78. l Agg. 2. 7. m Luc. 2. 11. n Isa. 9. 6. o Isa. 9. 7.

a ECce, Virgo concipiet, b & prægnans erit, pariétque Filium. c Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideóque quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur *Filius Dei*, d *Filius Hominis*, e JESUS, Jacobi f *Shiloh*, Isaiæ g *Emmanuel*, Jeremiæ h *Germen*, Danielis i *Messiah*, Zachariæ k *Oriens ex alto*, Aggiæ l *Desideratus cunctis Gentibus*, Lucæ m *Soter*, n *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Robustissimus, Pater æternitatis, Princeps pacis.* o Amplitudini illius principatûs & paci nullus erit finis.

CANT. VI.

De Sanctissima Virgine.

* Jer. 31. 22. COncipit illibata sacrum Maria puellum,
* Virgo amplexa Virum, nescia Virgo Viri:

Concipit aure volens, dum vocem Flaminis *audit;*
Dotali Verbo viscera casta tument.

Integra virgineum retinet fœcunda pudorem,
Fœcundi Verbum Seminis instar habet.

Christi

Christi castus amor. Sacra cui meditatio conjux,
Hic utero Christum non parit, aure parit.

Virginis intactam complevit Spiritus *alvum;*
Sustulerat pondus, quod tulit Orbis onus.

O uterus magìs Orbe capax, diffusior Astris!
Quem retinere nequit vel Polus, Alvus habet.

En Cognata parit, priùs infœcunda, Senectâ!
Embryo de cujus ventre salutat Herum.

Compedibus vinctus saltat. Quem cernere nondũ,
Non audire datum est, en, Here, *dicit,* ave.

Non natum Infantem non natus nuntiat Infans;
Matre satus sterili, qui Tuba viva Dei.

Hæc Prodromum, Ipsa Deum pia Virgo enixa, triumphant:
Matribus ut major utraq;, Prole minor.

Alvum pertundens, ut gaudia cerneret, infans,
Quod gradibus nequiit, saltibus ivit iter.

Hic priùs edocuit Matrem, quàm suxit ab illa;
Matre, nihil cernens, plura vidente videt.

Conscia conjugii, maris insciа, profer IESUM,
Virgo; Theanthrωpon, *Virgo* Maria, *pari.*

Innuba concepit, vitium nec sensit amoris,
Fertilitate placens, Virginitate nitens.

Udo sicca velut cùm vellere Terra manebat,
Uda velut, sicco Vellere, Terra fuit.

Parturiens pariénsq;, simul Virgóque Paréns quæ
Nec violata parit, nec pariendo dolet.

Virginis è cœlo gravidam Deus intrat in alvum;
Factáque Factorem jam parit ipsa suum.

Anagr. EMANUEL

Una Genus necuit, Generi parit una *LEVAMEN;*
Sed Styga ni tulerat prima, nec altra Polum.

Non experta torum Maria Deippara facta;
Mater, & absq; viro, Virgo, nec absq; viro.

Fulgor incssenso penetrans impervia lapsu
Corda, salutifero percutit igne sinum.

Sic Rubus igne micat, sic est illasus ab igne:
Fundis ità infracto lumina, Phœbe, vitro:

Vere novo tellus sic herbis sponte viresçit;
Gratus ità è clausa pixide spirat odor.

Stirps Jessæa Rosam Sharon *sine germine profert,*
Vallis *& inculto* Lilia *nata solo.*

Fructus adest horto, nec Flos prior excidit horti:
Partus & Integritas hoc sociantur Agro.

Virginitas, & viva Fides peperere Tonantem:
Credere *sed majus, quàm* peperisse, *fuit.*

Beatior, quòd Christum corde, quàm quòd utero gestârit. *Aug.*

Missus pastum alios, pasci dignabere, Panis;
En cœli **Panem munera lactis alunt!*

*Joan. 6. 35
*Luc. 2. 35.

* *Mœrebis gaudens, mœrens lætabere; Natus*
Lætitiæ, Natus causa Doloris erit.

Quàm bene constabunt hilari cum pectore fletus,
Gaudiáque & lacrymas lumine utroque dari!

Lux comes ut solis, conjux, & filia: Sic tu,
Alma Maria, Dei Filia, Sponsa, Parens.

Tu Fratrem, Sponsum, Natum, Patrémq; tulisti,
Virgo-parens, sexûs Stella, Corona, Decus.

De

De Beata Virgine Meditatio.

A Seculo non est cognitum, quòd Virgo esset quæ peperit, & quòd Mater esset quæ Virgo permansit: Hîc autem Uterus fœtu tumuerat, & tamen Virginalis integritas non recessit. Qui ex Homine Fœminam absque Homine extraxit, Hominem sine Homine ex Fœmina eduxit. Sicut enim lumen solis vitrum penetrat, nec tamen frangit: ità & Altissimus Beatam Virginem obumbrando, virginitatem ejus non imminuit. Ecce prægnantem Lunam! Ecce Solem sublunarem! Elisabeth, cùm naturâ sterilis esset, tum etiam ætate effœta, concepit atque uterum gerebat. Facultatis conceptivæ privatio non majoris momenti fuit ad conceptionem impediendam, quàm carentia seminis. Hîc eadem lac nutrivit uberibus, quæ non foverat virile semen in visceribus. Sed ut ex Aaronis *virga* matura creverunt Amygdala, quæ nec erat tellure sata, nec rore cœli madefacta; sic *Virgo* prolem concepit non ex semine, & peperit filium absque virili ope. Phœnicis mater ad sobolem procreandam ipsa tabescit; at hîc è contrà, Filium necessum est mori, ut Matrem conservaret.

De Jesu Christi Incarnatione.

SCRIPTURÆ.

[a] Mic. 5. 2. [a] ET tu, Beth-lehem Ephrata, parvula es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel,
[b] Isa. 57. 15 & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis. [b] Quia hæc dicit Excelsus, & Sublimis, habitans æternitatem, & sanctum Nomen ejus, in excelso & in sancto habitans; & cum contrito & humili spiritu, ut vivificet spiritum humi-
[c] Psal. 113. 5. lium, & vivificet cor contritorum. [c] Quis sicut Dominus
[d] Isa. 9. 2. Deus noster, qui altissimè habitat, qui demississimè perspicit in cœlo & in terra? [d] Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione um-
[e] Joan. 8. 56. bræ mortis, lux orta est eis. [e] Pater Abraham exultavit, ut videret diem hunc, & vidit (ante tot secula) & gavisus est.
[f] Gal. 4. 4. [f] Emisit Deus Filium suum factum ex muliere, qui [g] Ra-
[g] Isa. 11. 1. dix est Jessæ, ex ea [h] Surculus, indè [i] Germen, à quo [k] Fru-
[h] Jer. 23. 5. ctus; Idem & Radix, & Surculus, & Germen, & Fructus.
[i] Zech. 6. 12
[k] Mic. 5. 2
[l] Philip. 2. 6 [l] *Christus Jesus* cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: [m] sed seipsum exinani-
[m] Phil. 2. 7. vit, formam Servi accipiens, in similitudinem Hominum
[n] Joan. 1. 5. factus, & habitu inventus ut Homo. [n] Et Lux in tenebris
[o] Joan. 1. 10 lucet, & tenebræ Eam non comprehenderunt. [o] In mundo erat, & mundus per Ipsum factus est, & mundus Eum
[p] Joan. 1. 11. non cognovit. [p] In propria venit, & sui Eum non receperunt: [q] quotquot autem Eum receperunt, dedit Homi-
[q] Joan. 1. 12. nibus eis potestatem ut sint Filii Dei. [r] Et *Verbum* Caro fa-
[r] Joan. 1. 14 ctum est, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam Ejus, quasi Unigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis.
[s] Luc. 1. 78. [s] Visitavit nos Oriens ex alto: [t] ut illuminaret his qui
[t] Luc. 1. 79. in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

CANT.

CANT. VII.

De Nativitate Domini noſtri JESU CHRISTI.

Chorus Angelorum.

Chorus Paſtorum.

Ang. I.

PASTORES EXCUBANTES.

ARdua Pauperies! Cœlum pro culmine tecti; Luc. 2. 8.
Eſt requies labor his pro grege. Paſtor, ave.

Ang. 2.

Sunt ſopor excubiæ. Tibi, quo vigilante diurnum eſt
Noctis opus, nox hæc clarior eſto die.

Paſtor. 1.

LUMEN CIRCUMFULGENS.

En circumfuſum per cæca mapalia lumen! Luc. 2. 9.
O hæc quàm miris umbra coruſca modis!

Paſtor. 2.

Nox ſine nocte nitet, ſit luce ſerenior umbra;
Purius è picea fulgura nube micant.

Paſtor. 3.

Fulgor, non fulgur, non Vindex Angelus, Index; Luc. 2. 10.
Terrificat radio, mulcet at alloquio.

Ang.

Ang. 1.

CHRISTO NASCITURO.

Suscipe mortalem de Virgine, suscipe carnem;
Suscipe quod nec eras, desere nec quod eras.

Ang. 2.

Nascere, qui casta latitas in Virginis alvo;
Conclusum luteo carcere Numen habes.

Ang. 3.

Nascere de limo, Cœli veneranda propago,
Nascere humo, de quo sidera nata Deo.

Ang. 4.

Nascere in Orbe tener, totique salutifer Orbi;
Carne Deum velans, efficiare Puer.

Chorus Angelorum.

CHRISTO NATO.

Cœlorum modo gaza, miser modò natus in Orbe;
Grande decus terris, pulchra ruina Poli.

Past. 1.

Apoc. 1. Fecit nos Reges. Psal. 72. 11. Omnes reges adorabunt eum. Matt. 2. 1.

Ecce Deus, Pastor pastorum, nascitur! Ejus
Omnis Ovis fit Rex, Rex erit omnis Ovis.

Past. 2.

NATUS IN BETH-LEHEM.

Dicta Domus panis, *Cœli capit hospita Panem;*
Panem *non habuit, nec sine pane fuit.*

Past. 3.

Dives hic, abjecto genitus non dives honore:
Ortus inops, at opes quas tenet Orbis, habet.

Past.

Past. 1.

In ſtabulo jacet hic, cui machina ſubjacet Orbis:
Parva Tonatoris faſcia membra ligat.

Past. 2.

Zona nequit cœli, quem faſcia textilis ambit. Luc. 2. 7.
Jam celſo Tellus celſior ima Polo.

Chorus Paſtorum.

O mirum! Vitam qui dat, Vitam accipit idem,
A Vita ut Vitam perdita Vita ferat.

Ang. 1.

Naſcitur en infans, tamen orbus utroque parente:
Jeſu, *patre carens fis* homo, *Matre*, DEUS.

Ang. 2.

Huic Pater & Mater deſunt, & uterq; ſuperſunt;
Matris ſtirpe Puer, ſed potiore DEUS.

Ang. 3.

Par ipſi PATRI, *Genetrice vetuſtior Infans:*
En Pueri profert ora benigna DEUS.

Ang. 1.

Virgineus partus, faciens nos Puſio factus;
Virgine factus Homo *parturiente* DEUS.

Ang. 2.

Virginis ingrediens & clauſtra, & clauſa relinquens,
Suſtinet eſſe hominis filius *ipſe* DEUS.

Ang.

Ang. 3.

Natus in Orbe puer, Sator Orbis; & Arbiter Æ-
Temporis exiguo clauditur orbe DEUS. (*vi,*

Ang. 1.

Humanam Verbum *non enarrabile formam*
Sumit; Herus servi prodiit ore DEUS.

Ang. 2.

Fit DEUS *ipse minor, fit eodem tempore major;*
Dum minor es factus, major es indè, DEUS.

Ang. 3.

Robur es infirmum, quò infirmis robora dentur:
Tu potes in minimis vincere summa, DEUS.

Chorus Angelorum.

Quò foret immortalis Homo, DEUS *ipse peribit:*
Nè moriatur Homo, nascitur ipse DEUS.

Past. 1.

Quis Deus è cœlis nostras Homo tendit in oras?
Quis Deus è cœli culmine vagit HOMO?

Past. 2.

Virgine matre, Parente Deo, Deus editur Orbi;
Est Deus, & Deus est Virgine natus HOMO.

Past. 1.

Mortalis prodit Deus immortalis in auras:
Ortu qui nullo germinat, ortus HOMO.

Past.

Past. 2.

Singula qui Verbo priùs edidit, editus Ipse:
Hic Deus absque Patris semine factus HOMO.

Chorus Pastorum.

Angelus Obstetrix, Pater Infans, Pneuma Mari-(tus,
Virgo Parens, Mater Nata, Creator HOMO.

Ang. 1.

Omnia qui fecit, fieri non abnuit Ipse;
Humano Soboles corpore cincta DEI.

Ang. 2.

Qui cœlo haud capitur, minimos confluxit in artus;
Abditur alta humili gloria carne DEI.

Ang. 3.

Angustum angustum; cui cœlum terrá, punctum,
Non pudet hac Natum sumere membra DEI.

Chorus Angelorum.

Quid magè mirandum? medio mora Solis Olympo;
Anne quòd ipse Deus lapsus ab arce DEI?

Past. 1.

Flos hyemalis eum fecit, quo nascitur agro,
Nidum in quo parta est, parva Columba facit.

Past. 2.

Mira scio vastæ librari pondera terræ:
Cùm sit Numen Homo, cuncta minora scio.

Past.

Past. 3.

Arx stabulum, cunæ præsepia, stramina lodix,
Bos famulus, carex lintea, terra torus.

Past. 4.

Cœlum caula, pedum sceptrum, lyra fistula, carmen
Apoc. 15. 3. *Olim quod fuerat Mosis, id, Agne, Tuum.*

Past. 1.

Majestas cadit, immensum comprenditur arctè,
Momentum æternum, perpetuúmque breve est.

Past. 2.

Æquatur Culmen convalli, Purpura sacco,
Rex famulo, cineri Lampas, Oliva rubo.

Past. 3.

Nascitur è ramo Radix, Sol lumine, Totum
Particula, Figulus vase, Colonus agro.

Past. 4.

Prodit messe Sator, Genetrix fit Filia, natum
Lactat Virgo, Puer fit sine Patris ope.

Chorus Pastorum.

Abs una exoritur Christus, sibi Stirps, & Origo.
Secula Phœnices nostra tulere duos.

Chorus Angelorum.

Se Solis voluit Factor sub Sole videri:
Phœbe, caput condas; Sol novus Orbe micat.

Chorus

Chorus Paſtorum.

Jam propiùs venientis Hyems prænuntia Solis;
Sol in Virgineo *menſe Decembre* toro.

Chorus Angelorum.

Ver hyeme in media. Piſcis *ſub ſidere* Maius.
Compar huic noctis lumine nulla Dies.

Chorus Paſtorum.

Fert mundo nox iſta Diem. Dux iſte dierum,
Menſis abhinc primus jure December erit.

Chorus Angelorum.

Induit humanos ſummus Deus, induit artus;
Junctа Deo humana eſt maſſa: faceſſe Satan.

Chorus Paſtorum.

Ut nos inſereret ſummis, ſe miſcuit imis;
Ipſe Deus carni jungitur, ipſa Deo.

Chorus Angelorum.

Paſtores, canitis; ſed (res nimis alta) ſilendum:
Siqua ſtupere poteſt canna, canora ſatis.

VOTUM AUTHORIS.

Naſcere SOL *in me, quò in Te fiam ipſe renatus,*
Ut Stirps ipſe Hominis *nominer, ipſe* DEI.

De

De Incarnatione Christi Meditatio.

OMnia per *Verbum* facta sunt, nunc ipsum *Verbum* factum est: sic factum Caro, ut maneret *Verbum*. Caro verbum nobis exitium, *Verbum* Caro nobis remedium. Vox Dæmonis, *Ero sicut Altissimus:* Vox Dei, *Isa.53.7. *Factus Tu sicut Jumenta.* Hæc Vox ipsam Humilitatem superbiâ inflaret. Ecce Angeli è cœlo Cœlum quærentes, cantant in imis puero, tanquam *in excelsis Deo:* Qui ignominiam patitur inter infimos, hujus prædicant *gloriam in altissimis.* Qui omnes Dies fecit, hodie ex muliere factus est: qui vera Lux mundi est illuminans tenebras, nascitur ipse in noctis tenebris. Mundus videt in occasu seculi or-Mic.5.2. tum Christi. Ex parva Beth-lehem egreditur non parvus; quæ vix una est in millibus, ex ea egreditur electus unus de millibus, de minima maximus; ex ea egreditur Filius Davidis, qui egressus ab æterno fuit Davidis Deus. Sic erunt novissimi primi. In extrema penè temporis senectute, primus dies Incarnationis Filii Dei, ipsæ sunt Christianitatis Calendæ. Ab omni æternitate nunquam auditum fuit, quòd Æternitas temporis computum ingressa fuerit, Majestas suprema in uterum delapsa, Immensitas comprehensa, Infinitas limitata, Ubiquitas inclusa, & Deitas incarnata. Hodie tamen *Verbum* Caro factum est, & Deus Homo, Rex Gloriæ sine gloria, Angelorum, Caput capitulum, Creator creatus, Creator Matris creatus ex Matre; Hæc Mater Virgo, Hic Infans ab æterno. Deo quid glorioſius? Carne quid vilius? Deo in carne quid mirabilius? Accepit veritatem, non similitudinem carnis; accepit similitudinem, non veritatem peccati. Is qui fecerat Hominem, factus est quod fecit, nè periret quod fecit; suscipiendo quod non erat, non immutando quod erat. Nostra auxit, sua non minuit; nec incrementum pietatis fuit decrementum Deitatis; sed velatio Deitatis, revelatio charitatis

charitatis. Æternus momento natus, ut nos vermes simus æterni. Nascitur ille inops, ut cœlestes divitias nobis comparet; Nascitur in vili pecorum stabulo, ut ad cœlestis aulæ palatia nos perducat. Facit autem infelicitas, ut non omnibus nasceretur, qui pro omnibus natus est.

O Fili Dei, qui per hujus Naturæ Incarnationem Filius Hominis factus es, me facito filium Hominis, Naturâ peccatorem, Gratiâ & Adoptione Dei filium fieri.
AMEN.

De Pueritia Christi.

SCRIPTURÆ.

MAgi profecti sunt, & ecce Stella quam viderant in Oriente, præibat eis, donec venit stetitq; supra locum in quo erat Puerulus ille: [b] Cui Deus donavit Nomen, quod est supra omne nomen; [c] ut ad Nomen IESU omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum, [d] & omnis lingua confiteatur CHRISTUM esse Dominum, ad gloriam Dei Patris. [e] Qui legi erat subjectus, ut eos qui legi erant subjecti redimeret. [f] Ecce Deus vester advenit, servaturus vos. Tunc aperient se oculi cæcorum, & aures surdorum patefient. [g] Audient surdi verba scripturarum, & ex caligine atque è tenebris oculi cæcorum videbunt. [h] Tum saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua muti: erupisse in deserto aquas, & torrentes in solitudine; [i] abiisse torridum locum in stagnum, & siticulosum in scaturigines aquarum; in caula draconum, cubili cujusque, gramen esse cum arundine & junco.

[a] Matt. 2. 9.
[b] Phil. 2. 9.
[c] Phil. 2. 10.
[d] Phil. 2. 11.
[e] Gal. 4. 4, 5
[f] Isa. 35. 4, 5
[g] Isa. 29. 18.
[h] Isa. 35. 6.
[i] Isa. 35. 7.

E CANT.

CANT. VIII.

De Jesu Christi Pueritia.

Gal. 4. EN Legis-lator factus sub lege Ministèr;
Vagitus, superâ qui tonat arce, movet.

Pastor & in fœno Rectorem quærit Olympi,
Infantíque brevi cernit inesse Deum.

Te Mater, Te qui pascis modò millia, nutrit;
Lactis inexhaustum Te Mare Gutta fovet.

Lacteus humor, ebur, prope Colla, ligustra nigre-
Nix prope Te, victos contegit atra sinus. (scunt;

Verbum *Infans*, & sancta Dei lactentis Imago,
Ante ortum Matris quot Tibi secla Tuæ?

Evehis in cœlos Homines, cui Bestia consors,
Numen, inhumanum ludis & ante pecus.

Antra aulis, fœnum plumis, magalia præfers
Castris. In forma paupere dives honos.

Parvus es in stabulo, magni Rex magnus Olympi:
Heu Tibi nec locus est, quo sine nec locus est.

Natúsq; in stabulo, natúsq; in pectore Regum,
Muta quibus vocem Stella loquentis habet.

In laudem partûs nova sidera parturit æther:
Stella, jubar cujus sit nova lingua, nitet.

Prævia

Previa Stella Tibi solari clarior orbe,
Stella facem ducens plùs micat una die.

Hoc regitur Sapiens Astro, (dominatur hic astris)
Solis *ad Ebum déque Oriente venit:*

Ad Solem *non occiduum Fax dirigit. Hujus*
Spurca nigrante luto Regia SOLIS erat.

Attamen hoc stabulum Cœli supereminet axem;
Nempe hoc Terra, Polus quod veneretur, habet.

Stella, Dei Verbum; *per Te me dirigat ad Te:*
Quæ licèt inferiùs fixa, suprema petit.

Tu VERBUM, *at mutum, Doctor sine voce docentis:*
Et doctoris eges, qui tamen ipse Via es.

Missus in exilium cœli Possessor & orbis:
Quò mundi Princeps, quò, Deus, exul abis?

Vixdum natus eras, & Te mors quærit, IESU;
Et necdum incedens, quàm citò, Christe, *fugis!*

Te sunt Infantes confessi, muta Corona,
Qui non fando canunt, sed moriendo Deum:

Queis Senium hora brevis, queis paulum temporis ætas:
Quæ lux prima fuit, penè suprema fuit.

Metam in carceribus tetigisti, parvule cursor,
Totius & solis manè rotatur opus:

Sic simul ac oreris, cadis ipse, minutule Titan;
Nec propero occasu lux magè curta tuo.

Fit Martyr, *qui* Confessor *nequit esse*; Redemptor,
Qui vitæ causa est, est tibi causa necis.

Parve, vale, lucro est tibi sic periisse; *sed antè,*
Unde gemant Hostes, Tela ferendo jacis.

Hostem necdum usus manibus prostravit, & Orbi
Ictus non dando, sed subeundo dedit.

Grandior impressa est à corpore plaga minori;
Pugnat, nec pugnæ est conscia, parva manus.

Commoda non ætas pugnæ, quæ commoda palmæ:
Vincit & imbellis, quem neque nôsse datur.

In tumulum salit ex utero, nequit ire. Viator
Fortiùs ex ipso vulnere sanctus eat.

Ante pedum robur, retulerunt præmia cursu;
Ridet & in parvis magna Corona comis.

Præmia inexperti rapiunt, patiendo triumphant;
Immortale affert ipsa ruina decus.

Mallem me Herodis porcum quàm filium. *Augustus.*

Plùs, Homicida, odio, quàm prodes amore; Tyranne,
Indulgens feritas, ira benigna tua est;

Annuis adversus, largiris munera nolens:
Vulnera quot figis, das tot ad astra vias.

O Damnum mercede prius! dum deprimit, effert;
Dat rapiendo: Favens fecerat ille minús.

His vitâ caruisse frui, posuisse potiri,
His superâsse pati, sed superesse mori.

Io Rachel, ponas cunarum in sede sepulcrum:
Qui perit ob Christum, non perit, io Rachel.

Christus in Templo. Luc. 2. 46.

Christe *Puer, primisque viro jam major in annis;*
In tenero gravitas ore senilis adest.

Nil puerile sonas annis puerilibus: ambit
Tempus idem puerum corpore, mente senem.

Sic Virtus primo matura in flore senescit:
Vultum discentis, verba docentis habes.

Sic Tibi flos fructus, sic prima Juventa Senectus:
Præmia Doctorum præripis, & Puer es.

Ex utero Tu Doctor eras. Natura stupescat,
Quando Vir in Puero est, in Sene quando Puer:

Ipsáq; canitiem viridem mirata, loquelis,
Quem Puerum cernit, repperit esse Deum.

Accensum æterno Puerilem Numine vultum
Aspice, & impubem noscere disce Deum.

Parve Puer, sed magne Deus, Te Lumina cernant,
Esse perexiguum, Mens sciat esse Deum.

Non eget Autumno, fructus qui Vere profundit;
Dignus Amore Puer, Dignus Honore Deus.

De pueritia Christi Meditatio.

O Quàm hiatus ingens, quàm infinita distantia inter hæc duo conjunctissima; *Deum* & Puerum, *Deum* & Pulverem! Unità sunt summa Majestas & summa Debilitas, summa Potentia & summa Fragilitas. Ecce *Verbum* immensum *Verbum* est abbreviatum! Ecce *Verbum* sine verbo! Quanta humilitas, ut *Verbum* sit Infans, ut Tonans vagiens, ut Immensus parvulus! Doctrinam humilitatis agnosce nondum loquente Doctore. Nunquam Senectus adeò annis tenera, nec Juventus adeò ætate provecta. In præsepi jumentorum ecce Panem Angelorum! Cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum fœdum est, omne denique quod delectare potest, molestum est. Futurum hoc Abrahami gaudium in præteritas se refudit ætates.

De Novi Testamenti Miraculis.

SCRIPTURÆ.

[a] DIxit Jesus, Non credis me in Patre, & Patrem in me esse? Verba quæ Ego loquor vobis, à meipso non loquor; sed Pater qui in me manet, Ipse facit opera. [a] Joan. 14. 10.

[b] Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me esse; sin minùs, propter ipsa facta credite mihi. [c] Si facio opera Patris mei, etiamsi mihi non credatis, operibus tamen credite: ut cognoscatis & credatis Patrem in me esse, & me in eo. Scriptum est, [d] Percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum morte afficiet improbum. [e] Erit enim Justitia cingulum lumborum ipsius, & Fides ipsa cingulum feminum ipsius: [f] Quapropter commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hœdo recubabit; vitulúsque, & juvenis leo, ac pecus pingue simul erunt, & puer parvulus ducet ea. [g] Et vaccâ ursâq; compascentibus, simul recubabunt catuli earum; & leo sicut bos comedet stramen: [h] Et oblectabit lactentem super foramen aspis, & super specum viperæ depulsus à lacte manû suam injiciet. Non afficient malo, neq; corrumpent in toto monte sanctitatis meæ. [b] Joan. 14. 11. [c] Joan. 10. 38. [d] Isa. 11. 4. [e] Isa. 11. 5. [f] Isa. 11. 6. [g] Isa. 11. 7. [h] Isa. 11. 8, 9.

[i] In mari via tua, Deus, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur. [k] Non edis quicquam per quadraginta dies, sed iis finitis postea esuruisti. [l] Obtulerunt Tibi omnes malè affectos, variis morbis & cruciatibus detentos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, & sanâsti eos; [m] cæcis multis visum gratificatus es; [n] imò lutum imposuisti oculis cæci, & abluit, & vidit. [o] Claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, pauperibus evangelizatur, mortui suscitantur. [p] Resedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui. [q] Precabantur Te, ut solùm tangerent fimbriam pallii Tui, & quotquot tetigerunt, à morbo servati sunt. [r] Turba mirata est, cùm videret mutos loquentes, mancos sanos, claudos ambulantes, cæcos videntes: & glorificavit Deum Israëlis: [s] Dicens, Bene omnia fecit, facit ut & surdi audiant, & muti loquantur. [t] Respondit Jesus, Amen, Amen dico vobis, Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora eis faciet: nam ego ad Patrem proficiscor. [i] Psal. 77. 19. [k] Luc. 4. 2. [l] Matt. 4. 24. [m] Luc. 7. 21. [n] Joan. 9. 15. [o] Matt. 11. 5. [p] Luc. 7. 15. [q] Matt. 14. 36. [r] Matt. 15. 31. [s] Mar. 7. 37. [t] Joan. 14. 12.

CANT.

CANT. IX.

De N. T. Miraculis.

Sint licèt illimes, meruere piacula Lympha,
Et Lacrymas Lacryma commeruere mea.

Christus Baptizatus.

Marc. 1. 9.

Christe, mea in Te cuncta lavas contagia vitæ;
Sic fuit illa lavans unda, lavata magis.

Apostoli electi.

Luc. 6. 13.

Dejiciens summos, bis senos erigis imos,
Et Dominus famulis vis Famul esse Tuis.

Christus jejunans.

Matt. 4.

Macra quaterdenos pateris jejunia soles,
Mensibus ipse nihil penè duobus edis.

Te nullâ, qui quinque brevi dape millia pascis:
Ipsum qui Panem pascit & auget, eget.

Verè sacra fames minuendo viribus addit;
Fortior & Christus Damone, quando minor.

Ille Ille Ille Sator famet, alget egétque; benignis
Omnia qui pluviis irrigat, Ille sitit.

Christus sitiens.

Joan. 4.

Fons salientis aquæ sitibundus hic expetit undam.
Samaritana fidem de sitiente bibit.

Cunctorum

Cunctorum Tu, Christe, Cibus jejunia sentis,
Lassáque facta Via es, passáque Lympha Sitim.

Conversio aquæ in vinum.

Joan. 2.

Candida Lympha fuit, sed & illa rubescere cœpit;
Præcox mutatâ stellat Iacchus aquâ.

In mustum convertis aquas (mirabile!) fusas;
Vináque de nullo palmite nata fluunt.

Sic sine vite Latex fit Nectar ovantis Iacchi.
Cælitus ille latex ebrius: indè rubet.

Panes multiplicati.

Joan. 6.

Quinq; replent panes, pisces duo, millia quinque:
Vim cibus hanc animæ spiritualis habet.

Absumptas comedens epulas augebat edendo;
Crevit ab attritu (quis putet?) Esca suo.

Christus prædicator.

Matt. 4. 23.

Unicus es Panis, sed toti sufficis Orbi.
Ut satiet cupidos, ambulat ipse Cibus.

Instruis (ore potens adamanta movere) popellum;
Saxea flexanimes corda secuta sonos.

Indomitos tumidis mulces Delphinas in undis.
Manè fuit Corvus? vespere Cygnus erit.

Voce

Voce Tuâ Milvos potes immutare Columbis;
Turtur erit ſubitò, qui modò Vultur erat.

Hoc eſt fulmineas auferre Leonibus iras,
Hoc Agnis rabidos conciliare Lupos,

Hoc eſt Delphinas cantu, fluviósque morari,
1. Pet. 2. 5. Vivi lapides *Saxa vocare, ſacram ſponte datura domum.*

Ipſe Gigante minor, major tamen Ipſe Gigante:
Quos non ulla movet machina, Voce moves.

Te coram alterni certant per mutua ſenſus,
Intra opus ire ſuum nec ſatis eſſe putant:

Quando locutus eras, aures videre loquentem;
Audivere oculi, quando operatus eras.

Muti Loquaces.

Marc. 7. 37.

Ora jubente Tuo fantur mutiſſima nutu,
Chriſte; vel indociles fundere verba doces.

Cæci Videntes.

Luc. 7. 21.

Cæcus adeſt poſcítque Oculos, Oculatus abivit;
Luce datâ, cernit ſingula lucis inops.

Joan. 9. 15.

Editus ex utero Cæcus nova Lumina ſentit,
Cæcigenúſque videns Te, Bona cuncta videt.

Illinis argillâ cilium, das Lumina limo:
Vligo tenebras tollit inuncta nigras.

Nox

Nox cæcum medicamen habet: sic umbra remota.
Tu laterna latens, Christe, lucerna patens.

E limo humanos finxisti primitus artus;
Æternâ fidei lampada Luce juvas.

Claudi ambulantes.

Matt. 11. 5.

Loripedem rectum, Stupidum das esse disertum,
Veloci Mutilos efficis ire gradu.

Se stupuit Mancus laxato currere gressu:
Quàm bene firmati sunt tibi, Claude, pedes!

Tactus, Pharmacum.

Mar. 6. 5, 56.

Surge valens; licèt ager ades, jam tolle grabatum.
Imponente manus Te, citò languor abit:

Ad tactum vetus effugit de corpore morbus.
Penè priùs tribuis, quàm roget æger, opem.

Immedicabilibus solvis præcordia curis:
Mille mali species, mille salutis erant.

Dæmones fugati.

Matt. 4. 24.

Dæmones, ite foras, *dixit: peccata remisit;*
(*Quot culpa, totidem Dæmones*) *ite foras.*

Immunda, Munda.

Luc. 7. 38, 47, 48.

En vice mutatâ Cœlum rigat infima Tellus!
Fax tua te largis, Magdala, mersit aquis.

Se

Se Tibi, Christe, sibi Te Magdala nexuit; inde
Tu captivus eras illius, illa Tui.

Mortui redivivi.

Matt. 11. 5.

Tu potes exanimis animam suffundere membris,
Fusa potes vita reddere membra nova.

Matt. 9. 25.

Nata semel fuerat, bis vivere jussa Puella:
Successit vitæ mors repetita datæ.

Luc. 7. 15.

En nouus in venis redivivo sanguis inundat!
Mens elapsa, lubens ad sua pensa redit.

Sic animam recipit frigens à morte cadaver.
Nato vita redux Te veniente, venit.

Lazarus.

Joan. 11.

Erigis extinctum, redigísque ad luminis oras;
Viventísque vices ipse sepultus agit.

Evomit exequias, gradiente cadavere, vivas
Funus; voce Tuâ putria membra vigent.

Quinetiam coctam tumulo Mors evomit offam:
Fit quod erat sanies fœtida, sanus homo.

Viva putrescentis redierunt membra sepulti:
Immemor ipsa sui Mors alimenta dedit.

Jámque

Jámque ſalutantes revocatum à funere, dicunt,
Hæres ipſe tibi es, Poſthumus ipſe tibi.

Nubila Te, Te Chriſte timet, quod ubiq; timetur:
Fluctus hians ſurgit, cedit & ipſe Tibi.

Dic, Sileas, *ponítque minacia murmura pontus.*
Vin' freta muta fremant? Illico mota fremunt.

Imperio fluctus parent; Tibi littora, pontus:
Téque volente fugit, Téque levante furit.

Salum, Solum.

Matt. 14. 28.

Tutus aquam calcas, qui flatibus otia mandas;
Mobilitate carens ſe parat unda pedi.

Inſuetum per iter pedibus mare proteris: Æquor
Juſſit ſtare Timor, qui glaciavit aquas.

Libera ſubſtrato ponis veſtigia ponto,
Vadis & intacto per vada ſumma pede.

Conculcantur aquæ, tergum ſolidante liquore,
Marmor & attactu fit maris unda Tuo:

Et Tua dum ſiccis preſſiſti cærula plantis,
Lamberunt plantas cærula ſicca Tuas.

Tolle

Tolle rates, ratis Ipſe Tibi; Tibi cærula, portus:
Naufraga non poterit tanta perire ratis.

Petrum conantem, nantem ſine cortice, preſſit
Corporis haud gravitas, ſed Fidei levitas.

Porrige, Chriſte, manū; tremulas ſuperambulat un-
Et maris attonitas mox pede calcat aquas. (da;

Jam ſua miratur ſtabili veſtigia fluctu;
Jam fidei plenus, non oneroſus aquis.

Transfiguratio Christi.

Matth. 17.

Se Solem Sol eſſe negat, dum Sidere major,
Dum transformati ſplendet imago Viri.

Sole Homo, Mons ſpharis, & Tellus clarior Aſtrū;
Dum transformatum Lux nova veſtit Herum.

Sol ſtupet ipſe novum mundo luceſcere Solem.
Ex hoc ipſe Dies ebibat ore Diem.

Dominus, Servus.

Seponis ſceptrum, ſervorum ut vincula rumpas;
Sic Domino Servi ſqualida forma placet.

Paupere Dives, Herus Servo commutat honores,
Exule Rex, Conſtans Hoſpite, Meſſe Sator.

Paupertas Tibi divitiæ, Vigilantia ſomnus,
Cura quies, Lacrymæ nectar, Amórque dapes.

Pes

Pes claudi, Veſtis nudi, Solamen egeni;
En terra, en cœli Factor, egenus opum!

Huic nec in Urbe Thronus, qui regum maximus eſt Rex;
Orbis cujus opus, huic nec in Orbe Domus.

Pauper ubique jaces, qui regnas Dives ubique;
Pauperie ditas ut Tua membra Tuâ.

Mortali Deus iſta Hominis ſub mole peregit;
Rex ſummus Legi ſubditur ipſe ſuæ.

Ille tulit Legem, Legem quoque ſuſtulit Ille:
Rex regum Servis, non Sibi, Servus erat. Rom. 15. 3.

Ex quovis quidvis concludis in Orbe Logiſta:
Natura eſt placitis dura ſequáxque Tuis.

De

De N. T. Miraculis Meditatio.

O Panis vitæ, ô cœleſtis Manna, Tu famem & inediam; ô ſalutis Scaturigo, ô Fons Libani, Tu ardorem & ſitim; ô Deliciæ & Gaudium humani generis, Tu mœrorem & triſtitiam paſſus es; nè ego fleam, ſitiam, eſuriam in æternum. O benigne *Jeſu*, merâ tuâ gratiâ, & mirâ in homines commotus miſericordiâ, Naturam hanc infirmitatum ſuſcepiſti, ut curares infirmitates hujus Naturæ. Lavas aquas Ipſe, non Te aquæ; ut aquæ nos purgaturæ, priùs per Te purgarentur. Dicis Tempeſtati, *Obmuteſce:* & Morbo, *Volo*; *mundare:* & Morti, *Tibi dico, Surge.* Ducendo paſcis, paſcendo ducis. De nigris lucidos, de mortuis vivos feciſti, & (quod majus eſt) de infidelibus fideles. Nobiſcum Deus in terris, elevas nos ut ſimus cum Deo in cœlis. Creaturæ ipſæ Tuas laudes ebuccinant, ſine voce, ut Cœlum, & Terra: Te cognoſcunt & agnoſcunt, ſine ratione, ut Stella Orientalium Magorum Prodromus, & Tuarum Index cunarum: Tuo imperio parent, ſine voluntate, ut Ventorum rabies, & Fluctuum furor: Juſſa Tua accipiunt, & vocem audiunt, ſine auditu, ut Ficus, quæ maledictionem Tuam exaudiit, & exaruit: Tuas miſerias & cruciatus deflent, ſine naturali affectu, ut Rupes fiſſæ, Velum ſciſſum, & Terra concuſſa ob Paſſionem Tuam: Singulæ ſponte Tibi præſtant miniſteria, ſine voluntate; Aſellus dorſum ſubmittit, ut Tu conſcendas; Columba advolat, ut Te manifeſtet; Piſcis argentum corradit, ut Tibi vectigal, & pro Te ſolvat; Sol ipſe faciem abſcondit, ut Tuam ignominiam obvelet; Nubes denique Te ab oculis hominum occulit, & quo in cœlum vehas, currûs vicem ſubit & vehiculi.

Da, bone Deus, ut quemadmodum Servator meus ignorantiâ meâ ignorans, peccato meo peccator, meâ miſeriâ & reatu miſer & reus factus, pœnas mihi debitas luebat: ſic ejus Sapientia in inſtructionem, ejus Juſtitia in ſanctificationem, ejus Gloria in gloriationem mihi cedat.

AMEN.

DE

De Sacra Eucharistia.

SCRIPTURÆ.

[a] DIxit JESUS, Ego sum Panis ille vitæ: qui venit ad Me, nequaquam esuriet; & qui credit in Me, non sitiet unquam. [b] Quisquis biberit ex aqua illa quam Ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa quam Ego dabo ei, fiet in eo Fons aquæ salientis in vitam æternam. [c] Ego sum Panis vivificus qui è cœlo descendi: si quis ederit ex hoc Pane, vivet in æternum: & Panis quem ego dabo, caro Mea est, quam Ego dabo pro mundi vita. [d] Hic est Panis ille qui è cœlo descendit, ut qui eo vescitur non moriatur. [e] Panis enim Ille Dei, is est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo: [f] non prout comederunt patres vestri Manna, & mortui sunt. Qui ederit hunc Panem, vivet in æternum. [g] Qui edit Meam carnem, & bibit Meum sanguinem, in Me manet, & Ego in eo. [h] Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam: Verba quæ Ego loquor vobis, Spiritus sunt, & Vita sunt: [i] JESUS accepto pane, cùm gratias egisset, fregit; & dedit eis, dicens, Hoc est Corpus Meum, quod pro vobis datur: hoc facite in Mei recordationem. [k] Itidem etiam dedit eis poculum, postquam cœnâsset, dicens, Hoc Poculum est Novum illud Testamentum per Sanguinem Meum qui pro vobis effunditur. [l] Unus Panis, unum Corpus multi sumus: nam omnes unius Panis simus participes. [m] JESUS eâ nocte quâ proditus est, accepit panem, & gratiis actis fregit, ac dixit, *Accipite, edite: Hoc Meum est Corpus quod pro vobis frangitur: hoc facite ad Mei recordationem.* [n] Itidem & poculum, postquam cœnâsset, dicendo, *Hoc Poculum est Novum illud Testamentum per Meum Sanguinem: hoc facite quotiescunque biberitis, ad Mei recordationem.* [o] Quotiescunque ederitis Panem hunc, & Poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, usquequo venerit. [p] Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indignè, reus tenebitur Corporis & Sanguinis Domini.

[a] Joan. 6. 35
[b] Joan. 4. 14
[c] Joan. 6. 51
[d] Joan. 6. 50.
[e] Joan. 6. 33.
[f] Joan. 6. 58.
[g] Joan. 6. 56.
[h] Joan. 6. 63
[i] Luc. 22. 19
[k] Luc. 22. 20
[l] 1. Cor. 10. 17.
[m] 1. Cor. 11. 23, 24.
[n] 1. Cor. 11. 25.
[o] 1. Cor. 11. 26.
[p] 1. Cor. 11. 27.

CANT. X.

De Sanctiſſ. Euchariſtia.

Pſal. 51. 1. *ANgeli & invideant. Cor ſobria & ebria profer,*
Charta mihi Tellus ſit, calamúſque Polus.

Deut. 32. 1. *Audiat hæc Cœlum, Terra audiat. Ipſe vocavit*
Terram ad Cœleſtes quas parat Ipſe dapes.

Tu Convivator ſimul & Convivia nobis,
Chriſte, *Tuo ſimul es Paſtor & Eſca gregi.*

Paſce fidem Carníſque cibo, potúque Cruoris;
Omnis in hac Eſca eſt eſca, Sapore ſapor.

Hæc deſiderium Menſa & compeſcit & auget:
Enthens iſte Calix cítque fugátque ſitim.

Sumptáq; mox iterũ ſumenda Alimenta petuntur:
Hæc rediviva fames, non fugitiva ſitis.

Quo magìs his Epulis ſaturatur mens, magìs optat;
Potandóque ſitis creſcit, edendo fames.

Recreat iſta fames: Hydrops parit ille ſalutem:
Hauſtus, inexhauſtus; dat, vocat iſte Calix.

Alma Fames, Verbum cibus eſt, Jejunia replent.
Quàm ſapit is, Chriſti *cui ſapit iſta fames!*

Chriſte, *famem ſatia & ſtimula. Non Manna quod opto;*
Des Fidei micam, quàm ſatur indè forem!

Ipſa

Ipſa elementa potens Benedictio myſtica mutat:
Sunt quod erant, fiunt qualia non fuerant.

Terra eſto Panis, Vinum eſto fuſilis Unda,
Spiritus eſt Aer, vivida Flamma Fides.

Signum eſt ſignatum. (*Scopuli de fonte bibentes,* 1. Cor. 10. 3. 4.
Imbiberant Chriſtũ: *Nam Petra* Chriſtus *erat*)

Non totum Chriſti, *ſed* totus Chriſtus *ubiq; eſt:*
Ante oculos abſens Hic mihi ſemper adeſt.

Non Hunc mutabis, ſed in Hunc mutaberis ipſe:
Conviva in ſumptum vertitur ipſe Cibum;

Sumens fit ſumptum: nam Chriſti corpore veſcens
Concorpor Chriſto *corpore, & Ille mihi.*

Incolimus Chriſtum, *fit nobis incola* Chriſtus:
Qui Dominus, domus eſt; qui domus, eſt Dominus.

Sumens ſumentis fit pars. Commembria membra
Ut pars totius, pars ità partis erunt:

Hic pes, iſta manus capiti ſunt membra, ſimũlque
Pes hujuſce manũs eſt, manus iſta pedis.

Devorat Auditus Chriſtum, *Intellectus eundem*
Ruminat, & manſum digerit alma Fides.

Hunc non Ore, ſed Aure bibas, Cordiſque palato:
Cœna hæc Mentis opus, non tibi Ventris onus.

Vita piis, eadémque ſimul Mors ſontibus Eſca; 2. Cor. 11.
Una-duplex, & Apis vita, & Arachna necis:

Cœleſtis Medicina bonis, Aconita ſceleſtis:
Eſa Fide nutrit, Dentibus eſa necat.

Quantum credo, bibo. Si mens non ebria, pecco.
Uvea vina nocent, Vina ſacrata docent.

Sobrius Angelici fruor ebrietate Lyæi:
Nè titubem, fulcrum Vina vel ipſa dabunt.

Nolo *vale*, Volo *dulce vale. Sum Nilus & Ætna,*
Nunc me poſſe loqui, poſſe tacere nego.

Nocte fleam totâ, redeant incendia manè:
Imperium concors Imber & Ignis agant.

Nocte flagrem totâ, redeant ſuſpiria manè:
Dividat imperium par Dolor, æquus Amor.

Nunc anima abſque vagis ſummum ſecet æthera pennis,
Terreſtri Elyſios Orbe pererret agros.

Hæc paucis quàm multa docent Myſteria! Frugem
Seminat hic puncto, quam ſine fine metet.

De

De Sacra Eucharistia Meditatio.

Christus abiit, & hic est; redibit, & nos non deseruit: Corpus enim suum intulit cœlo, Majestatem non abstulit mundo. Cætera omnia fructuum & ciborum genera ad nos alendos apparantur; verùm ad cœlestis hujus Convivii participationem nosmetipsi sumus ritè præparandi. Corporalis cibus convertitur in nutritum; sed hoc spirituale nutrimentum convertit in se nutritum. Reliqua quot habemus fercula, linguam gustúmq; afficiunt & sapore suo quodammodo immutant; hîc autem Cibus ipse à gustu immutatur: Si enim appetitus convivarum gustúsq; commodè disponantur, Fomes vitæ fit & immortalitatis; sin secùs, in Stygis Poculum convertitur & Offam Cerberi, Lues animæ fit & immortale Venenum, & æternæ damnationis dirum pignus & propinatio. (Judas bibit mortem de Fonte vitæ.) O cœlestis Cibe, appetitum meum cie, & stomachum languentem stimula, ut Te accipiam, à quo acceptus sum; ut avidè Panem hunc comedam, quo quotquot vescuntur, nunquam esurient; & de hoc Vino ardenter bibam, cujus quicunque fiunt participes, nunquam sitient in æternum. Hujus Sacramenti perceptio percipientem incorporat ipsi *Christo*. In hac Cœna *Christus* est & Munerans & Munus, Cibans & Cibus, Convivator & Convivium, Sacerdos & Oblatio. Corpore *Christi* alimur *Christi* Capitis membra. Habitat Ipse in nobis, & nos in Eo. Hoc Sacramentum ministrat adipem Frumenti Tui, *Christe*, & lætitiam Olei, & sobriam Vini ebrietatem populo Tuo. Inebria cor meum sobriâ ebrietate amoris Tui. Insaniam salubriter, & moriar vitaliter. Veniamus ad mentes, & transcendamus eas, ut attingamus regionem ubertatis indeficientis. Læti bibamus sobriam ebrietatem Spiritûs. O gaudium super

Aug. Tract. 50. in Joan.

omne gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non eſt gaudium! Ah! utinam! heu! quando? Tu, Deus, loquere in corde meo veraciter; ſolus enim Tu ſic loqueris: & dimittam homunciones foris ſufflantes in pulverem, & excitantes terram in oculos ſuos; & intrem in cubile meum, & cantem Tibi reliqua viginti Amatoria, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea. Triſtitiam meam tranſactam lætus reminiſcar, & triſtis lætitiam meam.

Cœli ſtelliferi DEO,
Nutu qui facit omnia,
Nutu qui regit omnia,
Sit laus ſummáq; gloria,
Idq; in millia ſecula.



Pietatis Poeticéſque cultori *Generoſo*, E. B.

ANagramma ſurgit nominis juſtum tui
BENEVOLUS, ut qui nempe *vis bonis bene*.
Tua nota Muſis, atq; Muſicolis manus
Scribentis, ac donantis: hos opibus juvas,
Operibus illas entheo ſculptis ſtylo.
Tam vorticoſo complicantur ambitu
Myſterioſa quos habet nodos fides.
Tam volvis aptè, támque varias affabre,
Idem ut ſit aliud, aliud ejuſdem ἔκγονον.
Contrariorum paria tot pugnantium,
Pacis ſequeſter, conjugans cœlum ſolo,
Coire in unum fœdere implexo facis.
Quæ nemo modulo mentis humanæ capit,
Metiris illa metricis felix modis.
Grande eſt *Poëtam*, majus eſt fieri *pium*.
Pius, an Poëta tu magìs, dicant pii,
Dicant Poëtæ. Solus alteruter nequit.
Utrumq; teſtor hoc ſub anagrammate,
Severus, atqui benevolus cenſor tuus,

Οὐ ὠμὸς ἀγαθός.